Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Thomæ Goodwini Moses & Aaron Seu Civiles & Ecclesiastici Ritus Antiquorum Hebræorum

Godwin, Thomas

Bremæ, MDCCX

VD18 12442798

Liber VI. De Ritibus Mixtis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18703

Visual Library

MOSES ET AARON.

LIBER VI.

DE

RITIBUS MIXTIS.

CAP. I.

De Circumcisione.

I. Duo (1) *Sacramenta* ipsis fuerunt. 1. *Pascha*, de quo peculiari capite egimus. 2. *Circumcisio*, de qua nunc.

II. *Circumcisio* erat *abscissio præputii*, *signum* atque *sigillum* fœderis, quod Deus cum populo Judaïco pepigit. *Signum* vocatur à Deo in prima institutione *Gen.* XVII.

(1) Non tantùm duo fuerunt *Sacramenta* in V. T. sed plurima. Ea autem vel *ordinaria*, vel *extraordinaria*. *Ordinaria*, ut *Sabbathum*, *circumcisio*, *Pascha*, *sacrificia*, *purificationes*, *festa*. *Extraordinaria*, ut *Baptismus in nube* &

Et *sigillum* ab Apostolo *Rom.* IV. 11. Imò vocatur & *signum* & *sigillum* à Doctore Hebræo, qui vetustate suâ ipsum Talmud anteït. *Zohar. Gen.* XVII.

III. *Circumcisio* multis gentibus, etsi non tanquam *Sacramentum*, usurpabatur, ut *Colchis*, *Ægyptiis*, *Æthiopibus*, *Troglodytis*. *Alex. ab Alex. l. 2. c. 25. Herod. l. 2. Diod. Sicul. l. 2. cap. 1.* Item *lib. 4. cap. 3.*

IV. Legimus in Scriptura de tribus aliis *Circumcisionis* speciebus in sensu figurato, quibus hic ritus sacramentalis respicitur, sic ut quatuor *Circumcisiones* memorentur. 1. *Carnis*. 2. *Cordis*. 3. *Labiorum*. 4. *Aurium*.

V. Observabimus *Circumcisionem* in appellatione sua propria, attendentes 1. *Tempus*, quando peracta sit? 2. *Modum*, quomodo? 3. *Pœnam* neglectûs.

VI. *Tempus* erat *dies octavus*, qui ita accuratè observatus est, ut, licèt cum Sabbatho coïncideret, nihilominùs eo infans *circumcideretur*. Hinc

& mari, *cibus mannæ*, & *manantes petræ latices* &c. quæ omnia fuerunt *signa* & *sigilla* justitiæ fidei, non tantùm rem futuram adumbrantia, verùm etiam cuivis fideli, rectè iisdem utenti, fiduciam dantia, sibi vendicandi justitiam in Deo, & sperandi bonum, quod comitatur justitiam. Differunt autem *Sacramenta seu sacra signa* V. T. à *Sacramentis* N. T. 1. *Externis ritibus*. 2. *Numero*. 3. *Utendi facilitate*. 4. *Objecti amplitudine*. 5. *Significationis modo*. 6. *Temporis duratione*. 7. *Claritate*. 8. *Euangelicâ suavitate*. *Burm. Syn. Th. tom. 2. l. 7. c. 5. §. 8.*

Landesbibliothek Oldenburg

Hinc illud; *Circumcisio pellit Sabbathum.* Huic respondet illud Salvatoris nostri: *Et in Sabbatho circumciditis hominem. Job.* VII. 22.

VII. Judæi superstitiosè somniant, perfectionem creaturæ pendere ex sanctificatione Sabbathi minimùm unius, dicentes, Deum propterea præcepisse diem (2) octavum, ut Sabbathum prius transiret quemvis, quàm hoc Sacramento insigniretur. Sed nos probabiliùs statuimus, rationes, cur Deus noluerit anticipari diem octavum, has fuisse. 1. Ad docendum, Deum in opere salutis nec fuisse nec esse simpliciter adstrictum Sacramentis, aliàs non fuisset minor crudelitas in prohibendo anticipationem diei octavi, quam bonitas in concedendo octavum.

 2. Quia,

(2) *Circumcisio & abscissio præputii*, quid denotârit, vide *Cocc. Summ. Th. cap.* 53. *Burmann. Gen.* XVII. *Momm. l.* 1. *c.* 7. §. 27. *Wits. Oecon. cap. de Circumcis.* Quod attinet diem octavum, quo pueri *circumcidendi* fuêre, is significavit 1. Illam *Circumcisionem*, quâ nondum fuerunt Israëlitarum *mentes*, *aures*, *oculi*, *corda circumcisa Deut.* XXX. 6. futuram aliquando merito Jesu Christi ipsiusque resurrectione, quæ incidit in diem octavum. 2. Nos oportere esse *circumcisos* primo septimanæ die, h. e. primis juventutis annis. 3. Septem diebus, seu Periodis, creaturam in aliquali impuritate & vanitate, quanquam in diem decrescente, mansuram. 4. Post septem N. T. periodos venturum diem, quo creatura resurget & vanitatis vinculis liberabitur, & quo corda filiorum Dei penitùs *circumcisa* & omnibus peccatorum sordibus purgata erunt, & quo membra carnis prorsùs deponent. Hîc autem monendum est, quòd Scriptura loquatur quidem de octavo die, sed quòd intelligantur sex pleni dies. Sic Christus dicitur fuisse *in corde terræ tres dies*, sed non plenos.

Landesbibliothek Oldenburg

2. Quia, tempore Pædagogiæ Mosaicæ, legalis impuritatis species fuit, quâ creaturæ censebantur esse in suo sanguine septem à partu dies, *Levit.* XII. 2, 3. & 22. 27. Deus etiam noluit differri *Circumcisionem* longiùs octo diebus, ad solatium parentum, quo perfundebatur, quando infantes suos cernebant maturâ idoneâque initiatione fœderatos.

VIII. *Modus circumcidendi* ita se habere legitur. Quidam præsentium tenent scutellam arenâ plenam, in quam præputium abscissum projiciunt. *P. Fagius Deut.* X. Rursùs, ponunt ibi loci sellam otiosam pro *Elia. Christ. Cast. in Mal.* III. quod fit partim in honorem illius, unde, quoties incidunt in difficiliorem Scripturæ locum, dicunt; *Veniet Elias & omnia enodabit. Mercerus in abbreviat.* היקר; Sed fit præprimis, quòd putent *Eliam* spiritu præsentem esse, cujus corporalem adventum quotidie exspectent. Hæ ceremoniæ purè Judaïcæ sunt, à recentioribus Rabbinis confictæ, & Salvatoris nostri (3) tempore penitùs ignotæ. Et,

(3) Sanè adeo histrionicas hodie admiscent ceremonias, ut vix credendum eas Christi tempore receptas fuisse. Paucas notabo, quas ipse vidi in Synagogis. Sellis collocatis, aliquot pueri ferunt cyathos, scutellam sabulo plenam, & novaculam, quâ curtatur puer. Postea demurmurans quidpiam, המוהל, uti vocant, *circumcisor*, solvit fascias, puerique pudenda utràque manu fricat, ut sensum expellat; & tum attractam extremis sinistræ digitis cutem abscindit, abscissamque projicit in sabulum; & extemplò haurit è cyatho altero vinum ore, quo vulne-

ratum

Et, ut patet ex verbis Samaritanæ, illud dictum hodie Eliæ applicatum, olim Christo tribuebatur. Joh. IV. 25. ὅταν ἔλθῃ χριστὸς, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.

IX. Tertiò, is, qui *testis* seu *susceptor* aut *compater* est, ulnis tenet puerulum, dum *circumciditur*. Hunc *susceptorem* vocant *Baal-berith* & *Sandak*, h. e. *Dominum fœderis*. נוֹהֲגִין לִקְרוֹת שֶׁמַּחֲזִיק בֵּן חֲבֵרוֹ לְמוּלוֹ סַנְדָּק וּבַעַל בְּרִית *Solebant vocare eum, qui tenuit filium socii sui, ut circumcidatur iste, Sandak & Baal-berith. Elias Thisbit.* in סנדק. *Uria* Sacerdos, & *Zacharias* filius *Jeberechiæ* creduntur fuisse *susceptores* in *Circumcisione Maher-Schalat-Chashbazi. Esa.* VIII. 2. *Jun.* & *Trem. Esa.* VIII. 2. Hinc manavit mos *susceptores* instituendi in baptismate. (*)

ratum membrum accipit, atque sanguinem exsugit. Quod ubi fecit, exspuit vinum cruore mistum in alterum calicem, & unguibus reliquas ponè glandem particulas cutis, non sine ejulatu miserando pueruli, abscindit. Etsi autem has ceremonias omnes non credam in Christi Jesu *Circumcisione* usurpatas, nihilominùs tamen sola *præputii abscissio* sic dolorifica est in tenellis, ut intuentes *Circumcisionem* commoveantur. Unde dulcissimi Jesu erga genus humanum amor cernitur, qui hunc dolorem non detrectavit.

(*) *Polyd. Virgilius Lib.* 4. *cap.* 4. ait *Iginium* Pontificem Romanum primum statuisse, ut unus, quem *compatrem* vocent, uti testis baptismo interesset, ne quà iteretur. Pergit idem: *Hodie ut plurimùm, si mas baptizetur,*

X. Quartò, parentes dant infantibus ſuis ſua nomina. Tempore Zachariæ videntur nomen puerulo à majoribus adſciſcere voluiſſe: *Et dixerunt ad illam; Nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Luc.* I. 61.

XI. Aliis populis ſuis quoque fuêre ſtati dies poſt nativitatem, quibus nomina infantibus imponebant. Romani puerulis (4) nono die, puellis

tur, duo viri cum una muliere, quæ vulgò commater dicitur, adhibentur, veluti rei geſtæ teſtes; contrà ſi fœmina, duæ mulieres cum uno viro. Verùm quùm in diem illum feſtum Chriſtiani noſtri expenſas juſto majores profundant, ut recipiant, ſæpè 6. 8. 10. & plures, etiam in Reformatis Eccleſiis, eligunt compatres. At dum Romana Eccl. iſtos ſuſceptores non tantùm *teſtes* rei geſtæ, ſed & *compatres*, & *ſponſores* eſſe voluit, qui pro aliena fide ſponderent (id quod à Judæis non eſt hauſtum) ut ſic pari modo Infantes *alienâ confeſſione crederent*, uti *loquitur* poſt *Ambroſium* l. c. *Virgilius*; paulatim *ſpiritualis cognatio* & affinitas, inter iſtos *compatres* & *commatres*, exſuſcitata eſt, quæ ſæpius Pontificibus conjugia dirimendi, aut loculos complendi, egregiam occaſionem præbuit.

(4) Romani hunc diem vocabant *luſtricum*, quo infantes luſtrabant & iis nomina imponebant, Maribus quidem Nono die, unde *Nundina* Dea apud eos colebatur; fœmellis octavo, quod in maris conceptione plus eſſet temporis. Vocabant etiam *Repotia*, quod tunc quaſi repeterent potionem, vel etiam puerperalia. Unde *Horat. Ser.* 2. *Sat.* 2.

Ille repotia, natales, aliosve dierum
Feſtos albatus celebret.

Quem diem Angli dicunt *childe-feaſt*. Hîc autem ſciendum quòd & ſecundum diem nuptiarum appellârint *Repotia*.

Landesbibliothek Oldenburg

puellis octavo, dederunt nomina. *Plutarch. prob.* 10. *Macrob. Saturn. l.* 1. *c.* 16. Athenienses insigniverunt ipsos nominibus decimo. *Cœl. Rhodig. l.* 21. *c.* 12. Alii septimo. *Arist. hist. animal. l.* 7. *c.* 12. Hos dies vocat *Tertullianus de idol. c.* 16. *Nominalia.*

XII. Græci, præter diem decimum, quo nomen infanti impertiti sunt (5) quintum etiam observârunt, quo obstetrices accepto infante properârunt ad ignem, in hunc finem suscitatum, ut hâc ceremoniâ & se & infantem lustrarent. *Scholiast. Aristoph. p.* 886. Item *Suidas in ἀμφιδρομίᾳ.* Hoc die agnati dona submiserunt, seu *munera natalitia*; à quo ritu profectum putatur, quòd inter Christianos *susceptores* infanti tincto munuscula præbeant. *Stuck. de conviv. l.* 1. *c.* 16. Sed redeamus ad ceremonias Judæorum.

XIII. *Circumciso* infante, in hæc erumpit *pater*; בָּרוּךְ אַתָּה יְהוָה אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם אֲשֶׁר קִדַּשְׁתָּנוּ בְּמִצְוֹתֶיךָ וְצִוִּיתָנוּ לְהַכְנִיסוֹ בִּבְרִית שֶׁל אַבְרָהָם אָבִינוּ *Benedictus sis tu Domine Deus noster, qui sanctificasti nos præceptis tuis, & præcepisti ut colligatur (hic infans) in fœdus Abrahami patris nostri.*

(5) Hunc diem Græci vocabant ἀμφιδρόμια, vel ἀμφιδρομίαν, quòd cursim circa focum gestarent infantem. Romani quoque sua Repotia hoc nomine subinde dicunt. Hic dies fuit uti *lustricus*, ita & *festus*; non enim tantùm pueros igne lustrabant, & quæ fœminæ obstetricis munere functæ erant, manus suas purgabant; sed & cognati & amici munuscula aut munusculorum loco *polypodes* & *sepias* submittebant.

Landesbibliothek Oldenburg

stri. Mos. Kots. in tract. circumcis. fol. 115. Quem universa circumstantium Judæorum caterva ita excipit: כְּשֶׁהִכְנַסְתּוֹ לִבְרִית כֵּן תַּכְנִיסֵהוּ לְתוֹרָה וּלְחוּפָּה וּלְמַעֲשִׂים טוֹבִים *Sicut enim fecisti ingredi in fœdus, ita facias eum ingredi in legem, thalamum: & opera bona. Mos. Kots. ibid.*

XIV. *Pœna* neglectûs hæc est, *Ea anima exscindetur ex populo suo. Gen.* XVII, 14. Existimo hanc pœnam tali irrogandam, qui *Circumcisionem* aut *contempserit* aut *protervè neglexerit.* Hoc sensu quæritur. 1. Quid significetur hoc loquendi modo; *anima illa exscindetur è populo suo?* 2. Quis ita puniendus fuerit? *puerulus, an parentes, & qui parentum loco sunt?*

XV. Resp. Quantùm attinet primam quæstionem, putem, quòd, præter occultum Dei adversùs hos delinquentes judicium, Ecclesia erudiatur, quo pacto in disciplina adversùs hujusmodi improbos procedere possit. Si quis per *animæ* (6) *excisionem* intelligat *excommunicationem* aut *ejectionem ex Synagoga*, non movebo litem; licèt plùs ipsorum sententiæ accedam, qui per eam intelli-

(6) Superiùs jam notavimus, quòd per illam *excisionem animæ* intelligenda sit *ejectio ex consortio Israëlis in futuro seculo*; & sic quoque Judæi graviorem pœnam dicunt esse כָּרֵת *excisionem*, quàm מִיתָה בִּידֵי שָׁמַיִם seu מִיתָה מְשׁוּנָה *mortem repentinam, mortem* θεόπληκτον *divinitùs immissam. Cocc. Sanh. c.* 9. §. 6. *not.* 12. & *Maccoth. cap.* 3. §. 1. *not.* 1.

intelligunt *mortem corporalem* θνήλατον tali homini immissam: quo sensu illud capitur *Exod.* XXXI. 14. *Quicunque Sabbatho fecerit ullum opus, anima illa exscindetur ex medio populi sui.*

XVI. Observatu dignum est, quòd, cùm Mosis filius *incircumcisus* esset, *Deus Mosen quæsiverit interficere, Exod.* IV. 24. Hoc quemadmodum ostendit pœnam hanc fuisse *mortem corporalem*; ita evincit, quòd non (7) infans, usquedum attigisset annos discretionis, sed parentes pœnæ obnoxii fuerint. Sententia Rabbinorum circa hoc punctum hæc proditur: *Si pater ipsum non circumcidat, incumbit Judicibus eum circumcidere, & si ipsos Judices res lateat, & ipsum non circumcidant, ubi adultus factus est, tenetur se-ipsum circumcidere; singulis diebus, qui*

(7) Rectè ait Autor, huic pœnæ כָּרֵת, si *Circumcisio* negligatur, parentes aut filium adultum obnoxium esse, non infantulum. Judæi tamen videntur in ea opinione esse, quòd infantulus, si non notatus sit hoc charactere, licèt citra propriam culpam, & sic decesserit, subeat nihilominùs pœnam istam. Unde si quis ante octavum diem *incircumcisus* moritur, parentes *circumcidi* curant in cœmeterio supra sepulchrum, partim ne filius exsors sit futuri seculi, partim ne ipsi teneantur comminatione *excisionis* כָּרֵת *Buxt. Synag. Jud. c.* 2. Antiquiores Judæi filios *incircumcisos* humabant ante ostium Synagogæ, & sic videbantur exscindi ex multitudine reliquorum. Ab hoc pravo more Judæorum, *opus operatum* Sacramenti urgentium, Pontificii suam ψευδοδοξίαν de infantibus sine Baptismo denatis hauserunt, quos è regno cœlorum & communione sepulcrorum excludunt; Et ex eodem errore antiqui Christiani Judaizantes, mortuos baptizare non dubitarunt. *Weemse Synag. l.* 1. *c.* 6. *sect.* 3. *diatr.* 4. *par.* 3.

Landesbibliothek Oldenburg

qui ipsum transeunt adultum, & quibus se-ipsum non circumcidit, ecce transgreditur præceptum. Mos. Kots. tract. circumcis. fol. 114. *Col.* 4.

XVII. Hic quæri posset, quomodo possibile fuerit, ut quis semel insignitus *Circumcisionis* charactere & notâ, istam notam obliterare & rursùs evadere præputiatus potuerit? h. e. præputium reducere? quemadmodum multi Judæorum metu Antiochi *sibi fecerunt præputia.* 1. *Macc.* I. 16. Ita alii ex pudore, postquam Christo fideique Christianæ manus dederant, *sibi præputium* (8) *arcessebant.* 1. *Cor.* VII. 18.

XVIII. Respondetur, quòd hoc factum sit *attrahendo præputium* instrumento aliquo Chirurgi. *Epiphan. lib. de mens. & pond. p.* 415. item *Celsus l.* 7. c. 25.

(8) Judæi *Achanem* pluribus criminibus onerant, inter quæ, quòd sibi glandem rursùs cooperuerit, atque *in circumciso* similis factus sit. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 6. §. 2. *not.* 3. Quomodo id factum, vid. *Bezam* & *Junium in notis marginalibus ad* 1. *Cor.* VII. 18. Quàm perperàm locum hunc ad cœlibatum rapiat *Hieronymus*, vide *Cunæum de Republ. Hebr. l.* 3. *c.* 5. Certè nihil magis contemptibile videbatur Gentibus, quàm circumcisio Judæorum; & quòd Sacramentum hi facerent in abscissione præputii. Hinc *verpos*, *recutitos*, & quos non, vocabant, atque ut præputium reducerent, inducebant; nam quî non contemnerent illud mysterium, circumcisionem, quæ in litera & præputida carne est, solùm respicientes, & ignorantes, quòd sit saltem figura illius circumcisionis, quæ fit intùs, in homine, & quâ rescinduntur ope Dei & crucis, tanquàm cultri, omne quod est superfluum, sive in linguæ verbis, sive in cordis ratiociniis, sive in obstructione auris? &c. &c.

Landesbibliothek Oldenburg

c, 25. Huc respicit *Paulus l. c.* μὴ ἐπισπάσθω, *ne attrahat* præputium. Hæc fraus *Esavo* ut primo *Autori* adscribitur.

CAP. II.

De Ἀπαρχῇ *Primitiis fructuum frugumque, & Primogenitis.*

I. USus & finis primigeniarum frugum erat *consecratio sequentium.*

II. I. Hoc fine ipsis præceptum erat offerre *primos arborum fructus. Lev.* XIX. 23. 24. Ubi hic ordo observatus est: Primis tribus annis, (1) ex quibus plantata arbor fuit, *censebantur fructus ejus præputiati & impuri*; non licebat iis *vesci*, eos *venundare*, *aut aliquem usum ex iis percipere.* Quarto anno *Jehovæ sancti* fuêre, h. e. aut *dati Sacerdoti*; *Num.* XVIII. 12. 13. Hinc *Aben-Esra* in hunc loc. ait: וְהַכֹּהֵן יֹאכְלֵנוּ & *Sacerdos eum fructum comedet*; aut etiam proprii domini vescebantur iis *coram Jehova Hierosolymæ*, quemadmodum *decimis secundis*; & hæc

(1) De arb. præp. eximiam scripsit Disp. *Jac. Alting.* quam consule. Arbor homo est. Quamdiu præputia & velamina habet in corde, aure, labiis, nec simplex, sed multiplex est, & veluti numerus bestiæ 666. in eo ubivis abundat & superfluit, omnes ejus fructus impuri sunt. Plerumque autem post annum Trigesimum sapere, & squamas ac præjudicia ac præputia amittere incipiunt.

Landesbibliothek Oldenburg

& hæc ultima sententia communis Hebræorum est. *Talmud. Bab. in Magnasher Sheni. c.* 1. Post annum quartum cesserunt rursùs usui Dominorum. Possumus eas *primitias* simpliciter vocare πρωτογεννήματα.

III. II. Ipsis præceptum erat quotannis pendere *primigenias cujusvis anni proventuum fruges*. Et has vocare possumus ἀπαρχάς; quarum variæ fuerunt species. 1. *Manipulus primitiarum messis. Lev.* XXIII. 10. 2. *Primitiæ duorum panum agitationis. Lev.* XXIII. 17. Hæ duæ species claudebant messem. *Manipulus* offerebatur in initio messis, decimo quinto *Nisan*; *duo panes* in fine, *festo Pentecostes*. Et *manipulus* & *panes* communi nomine *Lev.* XXIII. vocantur תנופות, h. e. *oblationes agitatæ*. 3. *Primitiæ massæ. Num.* XV. 20. Nimirùm *vigesima quarta pars* de ea dabatur Sacerdoti חד מן עשרין וארבעה *una pars ex viginti quatuor. Uziel. Num.* XV. 20. Quæ oblationis species observabantur à reversis jam jam ex Babylonia *Neh.* X. 38. Huc alludit *Paulus Rom.* XI. 6. *Si primitiæ sanctæ, etiam massa sancta est*. 4. *Primitiæ frugum ex area*, quæ pendendæ erant Sacerdoti; *Num.* XV. 20. Hæ duæ ultimæ species appellantur תרומות *oblationes elevationis*. Hæc *oblatio areæ est*; Illa *oblatio massæ*. *Num.* XV. 20. 21. Sub nomine *primitiarum frugum* Autores plerumque de ultima specie agunt, prætermissis reliquis.

IV. Priusquam progrediamur ad explicationem

nem postremæ speciei, nota differentiam duarum istarum vocum *Thenuphoth* & *Therumoth*; utraque notat *oblationes agitatas*, hoc tamen discrimine; *Therumoth oblationes* erant *agitatæ sursùm & deorsùm*, h. e. *oblationes elevationis*; ad docendum, Deum (2) esse Dominum & cœli & terræ. *P. Fagius in Pentat. Oblationes* autem *Tenuphoth* dictæ, agitabantur *huc illuc*, à dextra ad sinistram, ab Oriente in Occidentem, ab Aquilone ad Austrum; quâ agitatione Deum fatebantur esse Dominum totius (3) mundi.

V. Ut sciamus quid fuerint *primitiæ frugum areæ*, Rabbini, aliique qui eos sequuntur, ipsas distinguunt in duas species. *Prior* harum erant *primitiæ septem*

(2) Quia *Therumoth* etiam fuerunt ex figuris V. T. & bonum N. T. denotârunt, possumus dicere, quòd illa *elevatio primitiarum* sursùm, figurârit duo. 1. *Crucifixionem* Christi, quâ in altum elevatus est primogenitus Dei. 2. *Resurrectionem* Christi, quâ levatus est ex sepulcro, & factus ἀπαρχὴ *primitiæ dormientium*. Etenim *Crux* Christi, quæ & nostra est, reverà est exaltatio; deprimitur equidem & opprimitur externus & vetus homo, at exaltatur ad sublimiorem gradum & statum internus & novus homo; ut mirer illos hoc non observasse, qui putarunt, Christum non clamasse; *Deus mi, quid me deseruisti?* Sed *quid me glorificasti?* Nam ista derelictio & crux interna fuit summa exaltatio & glorificatio coram Deo & angelis.

(3) Hæc agitatio versùs quatuor mundi plagas notavit 1. Christum futurum Regem in omnibus gentibus, & ipsum osculaturos omnes terræ populos. 2. Gentes, ad omnes cœli fines dispersas, sanctificandas in Jesu Christo, & participis futuras ejusdem oblationis.

Landesbibliothek Oldenburg

septem rerum. 1. *Tritici.* 2. *Hordei.* 3. *Uvarum.* 4. *Ficuum.* 5. *Malogranatorum.* 6. *Olivarum.* 7. *Dactylorum.* Quarum rerum fertilissimâ ubertate Palæstina nobilis erat, laudaturque *Deut.* VIII. 8. Harum *primitias Talmudici* vocant בכורים *R. Salom. Deut.* XXVI. 2. Item *Mos. Kots. fol.* 201. *col.* 4. Et quando agunt de *primitiis frugum*, eas & non alias hoc nomine *Biccurim* intelligunt. Hæ, ajunt, sunt *frugum primitiæ*, quas populus toties in Lege jubetur ferre ad Sanctuarium festo Pencostes, messis fine, uti patet & ex hac oblatione, & ex oblatione duorum panum *Levit.* XXIII. 17. *Posterior* harum erant *primitiæ* 1. *frumenti* 2. *musti*, 3. *olei*, 4. *vellerisque ovium*, *Deut.* XVIII. 4. *Num.* XVIII. 12. imò 5. omnium aliarum rerum, quas gignit terra ad alendum hominem. Ita Doctores ipsorum intelligendi sunt, ubi dicunt; *quidquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium est primitiis, Therumæ, & Decimis. R. Salom. Deut.* XXVI. 2. Item *Mos. Kots. fol.* 201. *col.* 4. *Moses Ægypt. in Jad. part.* 3. *tract. de Therumoth.*

VI. Et quod nominant (4) תְּרוּמָה *oblationem elevationis*, Græci vertunt ἀφορισμόν *separationem*,

(4) De *Therumah* hac vid. *Ursin. Anal. Sacr. tom.* 2. *l.* 3. *c.* 10. item *Disput. selectam Sagittarii de Decimis Hebræorum c.* 2. Ut brevi complectar: תְּרוּמָה *Luth.* Heb. Opfer / *oblationem tollendam* notat, quæ sponte dabatur Deo, sacerdotibus ex Levitis & quacunque re & Terræ fruge Ditiores de 40. mediocres & tenuiores de 50. unum dabant,

nem, quia erat *consecratio & separatio portionis Domini.* Quo respectu credo, quòd *Paulus* se vocârit ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον. *Rom.* I. 1. Ἀφορεῖ Ἀαρὼν *Aaron separabit Levitas.* Sic vertunt Græci; sed fons ita sonat; הֵנִיף אַהֲרֹן אֶת הַלְוִיִּם תְּנוּפָה *Agitabit Aaron Levitas agitationem. Num.* VIII. 11. Rursùs; ἀφορίσατε *separate mihi Barnabam & Saulum. Act.* XIII. 2. *Drusius* aliam dat rationem, uti dictum est, *Cap. de Pharisæis.* Sed pergamus. Hebræi hanc secundam *primitiarum* speciem non vocant simpliciter *Therumah*, sed subinde תְּרוּמָה גְדוֹלָה *Oblationem elevationis magnam*, respectu illarum *decimarum*, quas Levitæ Sacerdotibus pendebant; hæ enim vocabantur תְּרוּמַת מַעֲשֵׂר *oblatio decimarum. Num.* XVIII. 26. Quæ etsi erat una pars ex decem, respectu ejus, quod solvebatur Levitis, attamen erat tantùm una pars ex centum, respectu

dabant, seu de 100. plerumque duo. Unde תְּרוּמָה quasi תְּרֵי מֵאָה *duo de centum* dictum ajunt. Confer. *Exod.* XXV. 2. 2. *Sam.* I. 21. *Num.* XV. 20. *Coccejus* amat vertere *Ablationem*, h. e. *donum de summa ablatum, decerptum*: sic & LXX. vertunt ἀφαίρεμα, item ἀφόρισμα, & ἀφορισμόν, eine Hebe / oder Absonderung vom Hauffen. *Num.* XXXI. 28. 52. Hinc terra separata de terra tribuum, pro Sacerdotibus, & Levitis & pro Sanctuario, dicitur תְּרוּמִיָּה, h. e. *pars ablata.* Verbum enim רוּם in Hiphil & Hophal significat *tollere* αἴρειν, *auferre*, & *auferri*, heben/ wegheben / auffheben / weggehoben werden.

proventuum, quos coloni Levitis *decimabant*; & sic longè minor erat *oblatione elevationis magnâ*, uti statim clarebit.

VII. Has *primitias*, ajunt Hebræi, non tenebantur domini pendere Hierosolymæ. Lex non definit, quantum, seu in *Biccurim*, seu in *Therumah*, solvendum fuerit; verùm per traditiones tenebant, quòd minimùm *sexagesima pars* tàm septem illarum rerum, quas vocant *Biccurim primitias*, quàm *harum*, *quas dicebant Therumah*, seu *Therumah Gedolah*, fuerit dependenda. Sic distinguunt *Talmudici* τὰ *Biccurim* à *Therumah Gedolah*. Sed meâ sententiâ possunt *Biccurim* comprehendi sub *Therumah Gedolah*; & sanè, hæc utraque nihil aliud sunt, quàm תְּרוּמַת גֹּרֶן *Oblatio areæ*, cujus antea meminimus ex *Num.* XV. 20.

VIII. Rationes meæ sententiæ hæ sunt. 1. Scriptura non indulget aliquam *primitiarum* partem retineri domi; si hoc adstrui posset, distinctio valeret. 2. Scriptura *primitias* non adstringit his septem rebus, quas solas vocant *Biccurim*. 3. Duæ istæ *primitiarum* species invicem commiscentur; nam dicunt, quòd in τοῖς *Biccurim* pendant. 1. *Triticum*. 2. *Hordeum*; & quòd in *Therumah* solvant *frumentum*; quasi *frumento* non comprehenderentur *triticum* & *hordeum*. Respondebit quis, quòd τὰ *Biccurim* solverint *aristis*, messe nondum collectâ; at *oblationem Therumah*, *tritico & hordeo* jam *triturato* ac *ventilato*.

IX. Ra-

IX. Rationes huic responsioni has oppono. 1. Hoc pacto *sexagesimam sui frumenti partem* bis solvissent. 2. Frumentum in aristis & manipulo oblatum parva erat portio, nec offerebatur *festo Pentecostes*, quod messem claudit, sed *festo Paschatis*, quod messem orditur. *Lev.* XXIII. 10. Cùm tamen τὰ *Biccurim* semper offerrentur *festo Pentecostes*. Satis sit hoc ad sententiam meam stabiliendam.

X. Progredior ad ostendendam rationem, cur imperata sit in hac *oblatione areæ* minimùm *sexagesima* (†) *pars*? Fundatur ea verbis Prophetæ

(†) Quamcunque etiam partem dederint Israëlitæ, hoc sanè verum est, eos tanquam servos & non liberos variis *jugis* & *oneribus* pressos, modò non ex omni re primitias, decimas, censum, lytrum, sacrificia, munera, libamina aliasque oblationes, pendere debuisse. Hinc multi *Libertatem* Christianorum ubivis extollunt; at quid dicant non omnes nosse videntur. Nemo negaverit; Veros Christianos, Saræ filios, ab omni parte liberrimos esse, nec ullâ lege Divinâ ad aliud jugum aut onus ferendum obligari, quàm quod Christus imponit. Lege tamen charitatis & prudentiæ, exemploque Christi, subjiciunt se πάσῃ κτίσει ἀνθρωπίνῃ & pendunt, quod propriè non debent, ne sint offendiculo, aut videantur ἄπιστοι. *Matth.* XVII. *Rom.* XIII. 5-7. Operæ pretium est, ut distinctius loquamur, & rem penitius contemplemur. [a] Si nomine *Christianorum* comprehendimus hodiernas Orbis nationes, quæ Christi nomen mentiuntur, certè eos gravissimis oneribus premi & exsugi patet; ut verè dixerit ὁ δεῖνα: In servitute „ Ægyptiaca Israëlitas ingemuisse sub onere, licet ipsis „ suffecerint, pisces, carnes, cepæ, allia, aliaque „ olera;

Ezech. XLV. 13. *Hæc est oblatio, quam offeretis, sextam Ephæ de Chomer*, h. e. *sexagesimam totius partem*, quoniam *Chomer* continet decem *Ephas*. Hinc hanc oblati-

„ olera; nunc autem Christianos subditos, pallere ma-
„ cie, & contabescere sub jugo plusquam Ægyptiaco,
„ & vix atrum ipsis panem relinqui. Ubi hic vestigium libertatis Christianæ? [b] At dicent quidam; libertatem N. T. præprimis in eo positam, ut à jugo & multitudine ceremoniarum, conscientiam omni penè momento sauciantium, liberati simus! Verùm demus hoc ita se habere, quamvis ita non sit (nam Libertas N. T. propriè consistit in eo, ut liberi simus à servitute peccati, & inscriptâ cordibus nostris lege edocti simus à Spiritu S. sponte obedire uni Christo, & libero animo dependere à Dei voluntate) nullam tamen ceremoniarum copiam sibi grave onus vel jugum esse conqueretur naturalis homo, cujusmodi plerosque in istis nationibus esse quivis facilè concesserit; Contrà, si illis adsueverit, velut bos aratro, aut rusticus labori, volupe ipsi erit & gratum, iis occupari; *quùm enim sint opera carnis, suopte ingenio ad ea fertur*, ut ait *Coccejus*; iisque tanquàm suo elemento & alimento lætatur. Hinc non audimus Pontificios, Judæos, aliosque de onerum & ceremoniarum suarum numero queri, sibi potius decori, emolumento & oblectamento eadem ducere audimus. [c] Nihilosecius est illa ceremoniarum multitudo *grave jugum*; sed quibus? *Petro* & piis hominibus, *Act.* XV. qui ingemiscunt, quòd non prorsus liberi sint à peccato, & ab omni medio intercedente inter sese & Dominum, seu quòd nondum unus cum Domino spiritus facti, ducibus & externis indicibus uti debeant ad istum finem ultimum, intimamque ejus communionem; aut quòd ob nimiam multitudinem illorum mediorum & ceremoniarum sæpius offendant, conscientiamque lædant, atque adeò quòd nondum omnia pura ac licita sibi sient. Pariter ac Majores nostri ingemiscebant sub jugo Papæ, qui, ut *Lutherus*

præf.

oblationum istarum distinctionem desumunt. Quidam, ajunt, dabant *quadragesimam* suorum proventuum *partem*; quæ, quia erat maxima, quæ

præf. in Dan. loquitur, *omnia in peccata converterat*, quæ vel gustabant, vel contrectabant, vel faciebant, vel omittebant; quod tamen jugum pontificii plerique etiamnum cum voluptate gestant. [d] Quùm ergò alia ratio verorum Christianorum sit, eorumque libertas in eo consistat, ut liberati ab imperio peccati sint; hinc quod homini naturali grave jugum & intolerabile onus est, ipsis suave & gratum est, & vice versâ, quod huic gratum est, illos affligit. *Jugum* Christi, h. e. crucem propterea χρηστόν, & *onus* ejus hoc est præceptum de fide in Deum & amore in proximum, *leve* & *non grave* ducunt, & opitulante divinâ Christi gratiâ experiuntur, *Matth.* XI. & 1. *Joh.* V. 3. hominibus ψυχικοῖς utrumque summè grave, intolerabile, imò impossibile clamitantibus. [e] Quid ergò tantopere crepamus nostram libertatem? aut quos putamus esse sub gratia & verâ libertate N. T? Aut putamus conditionem & viam nostram ad Deum, ejusque communionem, esse nunc commodiorem externo homini? aut acceptiorem lenioremque interno cujusvis nostrûm homini? Num quid levius Christus Christianis dictitavit, quàm dictum erat antiquis? *Matth.* V. Num venit ipse, ut solveret ullam legem, & non potius ut & ipse & nos *finem* literæ seu legis & ceremoniæ externæ, h. e. δικαίωμα τοῦ νόμου adimpleremus? Utrum ergò facilius est, alienum, an proprium sanguinem fundere? bovem, an veterem hominem occidere? præputium, an cor præputare? feriari in Sabbatho, an omnibus vitæ diebus nil nisi cum Deo & in Deo operari, loqui, velle? primitias & omnis generis decimas offerre, an nihil in hoc mundo quærere aut cupere, & sola τὰ ἄνω respicere, quin omnia & singula Deo offerre & pauperibus distribuere? *Luc.* XI. 41. *Luc.* XII. 33. Utrum est onus, Pacem, victoriam in hostes, vitam longævam, præpingues agros, opulentissimamque patriam habere, an odio haberi à mundo, premi,

pendebatur in hac *oblationis* ſpecie, merebatur nominari ab ipſis, תְּרוּמַת עַיִן יָפָה *Oblatio oculi boni.* Alii (quamvis ad alterorum liberalitatem non adſcenderent, nihilominùs ne exiſtimarentur ſordidi) ſolvebant *partem quinquageſimam*, quæ merebatur dici תְּרוּמָה בֵינוֹנִית *Oblatio mediana.* Alii, quos ſordidos tenaceſque cenſebant, non plùs quàm *ſexageſimam partem* dabant, quâ minus non licebat dare. Hoc vocitabant תְּרוּמַת עַיִן רָעָה *Oblationem oculi mali.* Sic ut penſio harum *oblationum* fuerit determinata ab *Antiquis* inter *ſexageſimam* & *quadrageſimam partem.* Phariſæi autem, ut ſuâ ſanctitate eminere ante alios viderentur, ordinis ſui regulis vovebant dare *quinquageſimam* & *trigeſimam*, adeo ut inexplebile dolium is haberetur inter ipſos, qui *quinquageſimam* dependebat, iſque *illiberalis*, qui non *trigeſimam. Epiph. contr. Pharis. p.* 11.

XI. *Modus dependendi* has *primitias*, *Biccurim* dictas, latè proditur *Deut.* XXVI. Sed tempore Prophe-

mi, exulare, cum paupertate luctari, extra portam vineam, & patriam, cum Chriſto ejici? uno verbo, ſe ipſum deſerere, ſe ipſum abnegare, propriamque animam odiſſe, h. e. omnem laudem, honorem, dignitatem, voluptatem, opes, & quodcunque ſenſibus eſt gratum, fugere? Si hoc Tibi leve & lene onus eſt, certè Chriſtianus & verus Chriſti Libertus es; at falleris, ſi putas Iſraëlitas gravius portaſſe. Decimas illi debebant. Tu omnia; illi literam, Tu rem; illi ceremoniam externam, Tu animam!

Landesbibliothek Oldenburg

Prophetarum videntur fuisse receptæ aliæ ceremoniæ, de quibus Hebræorum Magistri hæc referunt: *Quando primitias offerebant, tum omnes civitates unius ejusdemque plagæ congregabantur in capite plagæ, ne singulæ solæque ascenderent; dictum enim est: in multitudine populi est majestas Regis Prov.* XIV. 28. *Et veniunt & pernoctant singulis noctibus in plateis metropolis, & non ingrediuntur ædes, metu pollutionis. Horâ matutinâ ait gubernator; Surgite, adscendamus ad Tzionem, urbem Domini Dei nostri. Ipsos antecedit taurus, cujus cornua auro obducta sunt, redimitusque caput serto olivæ, ad significandum primitias septem rerum ac fructuum. Cantabatur quoque fistulâ, usquedum prope essent Hierosolymam, aliàs per totum iter ipsis cantionem hanc modulantibus: Lætatus sum propter dicentes mihi, Domum Jehovæ accedamus &c. Ps.* CXXII. *Maimon. in Biccurim c.* 4. *sect.* 16. Ad hujus aliusque modi congregationes solennes alludit Propheta, dicens: *Canticum erit vobis ut* canticum *noctis*, quâ *sanctificatur festum, & lætitia cordis, ut* lætitia *ambulantis cum tibia, ut accedat montem Domini, rupem Israëlis. Esa.* XXX. 29.

XII. *Primogenitos* (5) seu *primitias hominum & bestiarum* sibi adscribit Jehova. *Exod.* XIII. Fundamentum hujus legis fuit, *quòd Deus interfecerit omnes primogenitos in Ægypto, à primogenito hominum*

(5) De *primitiis*, *manipulis*, & *primogenitis* superiùs quid notavimus. Quid *primitiæ* in genere significârint, item quomodo oblatæ &c. vid. apud Cl. *Burman. Lev.* XXIII. & *Deut.* XXVI. Et, quomodo hodierni Judæi suos *primogenitos* redimant, apud *Buxt. Synag. Jud. c.* 2.

Landesbibliothek Oldenburg

ad primogenitum bestiarum, parcens interea Israëlitis. In hujus beneficii æternam memoriam jussit sibi consecrari *omnes mares primogenitos. Primogeniti* illi hominum & bestiarum redimebantur *quinque siclis argenteis Sanctuarii*, datis Sacerdoti pro singulis ipsorum. *Num.* XVIII. 15. 16. Huc respexit *Petrus*, dicens: *Redempti sumus non corruptibilibus rebus, auro & argento* 1. *Pet.* I. 18. *Primogenita bestiarum* mactabantur, sparso super altari ipsorum sanguine, accensoque adipe in holocaustum, carne autem cedente Sacerdotibus.

XIII. Nota, quòd Deus velit sibi offerri *primogenita hominum & bestiarum, primitias fructuum arborum & frugum terræ, in manipulis, in area, in massa, in pane.* Scilicet omnia nos *docent consecrandas Domino annorum ætatisque nostræ primitias.*

CAP. III.

De Decimis.

I. HIc inquirendum est. 1. Quænam res in genere fuerint *decimandæ.* 2. Quot *decimarum* genera. 3. Tempus, quo unumquodque decimabatur.

II. 1. Annui reditus proventusque ipsorum, aut *pecora*, aut *arborum fructus*, aut *terræ fruges* fuêre. De his omnibus *decimas* solvebant, ad *mentham*, *anethum & cuminum* usque. *Hæc oportebat ipsos non omit-*

omittere. Matth. XXIII. 23. Vid. *Sixtin. Amam. de Decimis.*

III. 2. Duo genera *decimarum* erant, quas ex arborum terræque fructibus dependebat colonus, solvebanturque hoc modo: Messe factâ, omnibusque congestis, agricola seposuit magnam *Therumam*, seu *primitias areæ*, de quibus *cap. priore.* Postea ex reliquis *decimas* dedit (1) *Levitis*, hasque vocabant מעשר ראשון *decimam primam. Tob.* I. 7. Hæc solvebatur in natura, uti loquimur, &, ut mihi videtur, non ferebatur à colono Hierosolymam, sed dabatur Levitis incolentibus sui districtûs urbes. *Neh.* X. 3. 37. Alii putant, quòd *decimæ primæ* necessariò, aut à colono ipso, aut à vicario, Hierosolymas fuerint deportandæ. *Sixt. Amam. de Dec.*

IV. Ex his *primis decimis* desumebant Levitæ *decimam* pro Sacerdotibus *partem*, quam vocârunt מעשר מן המעשר *Decimam ex decima Neh.* X. 38. & *Decimam sanctitatum* 2. *Chron.* XXXI. 6. Hanc tulêre Levitæ ad domum Dei *Neh. l. c.* Hâc *decimâ* Sacerdotibus datâ, Levitis ipsorumque do-

(1) Hîc notandum; Israëlitas *oblationes* & *decimas* suas non certis ex gentè Levitarum persolvisse, sed cui vellent. Ideo in *Chetuvoth cap.* 13. ita legitur: *R. Ismaëli quidam offerebat primitias lanæ* (seu sexagesimam) *cui ille: unde es tu? inquit. Et alter: Ex isto loco. Tum ille: Inter istum locum & hunc non fuit Sacerdos, cui redderes? Et ille: Est mihi lis. Ad quæ Rabbi: Prohibeor in tua causa judicare. Cocc. Ex. Gem. Sanh, c.* 11. §. 2. *not.* 2.

Landesbibliothek Oldenburg

mesticis licebat vesci *primæ decimæ* reliquiis, in omnibus locis, extraque ipsam Hierosolymam. *Num.* XVIII. 31.

V. Cùm *prima decima* soluta esset, colonus ex eo, quod reliquum erat, dependit *decimam* (2) *secundam.* Hanc poterat colonus, aut in natura, aut

(2) Multi Christianorum statuunt, quatuor diversas *decimas* memorari in S. Scriptura; Primò, *Decimas annuas* ad sustentandos Levitas. *Levit.* XXVII. 30. *Num.* XVIII. 21. *Deut.* XIV. 22. XXVI. 12. 2. *Chron.* XXXI. 5. *Neh.* X. 37. *Hebr.* VII. 8. 9. Hanc *decimam* dederunt coloni, relicto spicilegio seu parte sexagesimâ in agris, & solutâ quoque *Therumâ gedolah*, vocâruntque *decimam primam.* Secundò *decimas decimarum*, quas Hierosolymæ pendere debebant Sacerdotibus Levitæ; etsi suas accepissent in singulis Israëlis urbibus. *Num.* XVIII. 26. *Neh.* X. 38. Tertiò, aliam *annuam decimam*, quam colonus aut in natura attulerit Hierosolymam, aut ejus pretium cum parte quinta, & coram Deo absumpserit cum Levitis. Hanc putant fuisse sanctam, & vocant *Decimam secundam*, *Tob.* I. 7. quia in Sanctuario data & consumpta sit, cùm *primam decimam* solverint in portis suis. De his *decimis secundis* dici putant *Deut.* XIV. 22. 26. *Lev.* XXVII. 30. 33. Quartò, *decimas pauperum*, seu *decimas tertii anni*, quas colonus non duxerit Hierosolymas, sed suæ domi distribuerit, præter *decimas priores*, Levitis, pupillis, peregrinis, & pauperibus, *Deut.* XIV. 28. 29. & has vocant *decimam tertiam.* Sed tantùm unicam fuisse *decimam*, quam colonus quotannis solverit Levitis, solidè demonstravit Cl. *Burmannus Deut.* XIV. Verum est quidem, quòd triplicis *decimarum* speciei meminisse videatur S. Scriptura, attamen si loci benè conferantur, unam eandemque esse *decimam* patebit. Nam ex *prima decima* celebratum est convivium à Levitis & colonis, adeoque à *secunda* non differt; nam decebat Levitas, ut, qui ferrent sibi victum, aliquo convivio exciperent. Nec *tertia differt* à *prima* aut *secunda decima*, quia ea tertio & sexto anno non data est solis Levitis,

aut ratione commutationis, in valore pendere. Verùm, quando eam pecuniâ ſolvebat, tùm addebat partem quintam, ita ut, quod in natura erat

vitis, ſed & Levitis & pauperibus &c. Ita ut ea *decima*, quæ ſolis Levitis data eſt annis, primo, ſecundo, quarto, quinto, quovis triennio egenis communicaretur, quia nihilominùs Levitis ſatis redituum erat. Nam ſi conſideramus, quòd Tribus Levi fuerit minima, & præter proprios proventus ex fundis & urbibus, tam ingentem ceperit *decimam*; patebit Levitis ſatis alimenti ſuperfuiſſe, etiamſi anno tertio *decimas* cum tenuioribus dividerent. Statuamus enim cuivis Tribui proveniſſe 10000. medimnos frumenti, tum ex omnibus Tribubus, Levi, præter proprios reditus, 11000. medimnos accepit, cæteris 9000. retinentibus. Jam, ſi perpendimus, Tribum Levi fuiſſe minimam numero, videmus patremfamilias ex ſolis *decimis* multò ditiorem fuiſſe, quàm alium ex aliis Tribubus. Adeò ut facilè ſuas *decimas* anno tertio communicare potuerint. Verum eſt quidem, quòd Judæi totum codicem in Talmude ſuo de *ſecunda decima* ſcribant, ſed facilè reſpondemus & hoc numerandum eſſe inter φορτία βαρέα καὶ δυσβάστακτα *importabilia Phariſæorũ onera*, *Matt.* XXIII. 4. & non poſſe ex Scriptura clarè deduci. Vid. *Cocc. Comment. Amoſ.* IV. 4. Hîc breviter notandum, quid notârint *decimæ*. 1. Deo omnia noſtra danda, h. e. in ipſius honorem vertenda. Deus enim dicit ſibi dari *decimas*, quando illis dantur, qui cultûs Dei miniſtri ſunt. 2. Miniſtros Eccleſiæ eſſe ſuſtentandos 1. *Cor.* IX. 4. 1. *Tim.* V. 18. & quidem non parcè, ne aliis rebus ſtudere cogantur, quàm ſoli animarum venationi, Deique gloriæ; quemadmodum Levitæ ſuſtentati ſunt. 3. Ita tamen ne nimio ſtipendio diſtendantur, & tota Eccleſiæ gazophylacia in ipſos effundantur, ut fit in Pontificatu Romano, ubi Epiſcopi nimio paſtu ſaginati torpent ac vitulantur; neque pauperes omni alimento fraudentur. Plura alia habes apud Cel. *Burm. Wet en Get. Deut.* XXVI, item *Synopſ. Th. tom.* 1. *l.* 4. *cap.* 12.

erat *decem ad centum*, in pecuniæ commutatione esset *duodecim ad centum*. Hoc colonus tulit Hierosolymam; exque eo paravit ἀγάπην, *seu convivium amoris*, invitatis ad id Sacerdotibus atque Levitis. Veruntamen non quovis *triennio* id adduxit Hierosolymam, sed consumpsit domi in suis portis cum *Levitis*, *pupillis*, *viduabus*, & *pauperibus*, *Deut.* XIV. 28.

VI. *Annum tertium* computabant ab *anno Sabbathico*, quo terra quiescebat, sic ut *prima* & *secunda decima* penderetur à colono, *primo*, *secundo*, *quarto*, & *quinto anno post Sabbathicum*; *Tertio autem* & *sexto* anno, solummodò *prima decima* data est Levitis, & *secunda* domi consumpta. *Mos. Kots. tract. de decima secunda fol.* 199. Hinc, respectu generis, vocatur hæc מעשר שני *Decima secunda*, *Tob.* I. 7. Respectu verò illius, quòd quovis triennio pauperibus data est, vocatur מעשר עני πτωχοδεκάτη, *decima pauperum*, & מעשר שלישי *decima tertia*. *Tob.* I. 8. Iis annis, quibus ea Hierosolymam adducta est, comedi debebat *in atrio templi*. *Deut.* XIV. 16. Per *decimam tertiam* intelligenda *decima pauperum* anno tertio, qui vocatur *annus decimarum*. *Deut.* XXVI. 12.

VII. *Decimabant* (†) quoque sua *pecora*. *Ex bobus* & *parva pecude*, & *ex omnibus iis*, *quæ transeunt sub*

(†) *Decimas* non esse legis naturæ, cuivis liquet. Mysterium autem *Decimi numeri*, qui est omnium perfectissimus, & summus, & in quo omnes Decades, Hecatonta-

sub virgam, decimum quodque erat sanctum Jehovæ. Lev. XXVII. 32. Quidam Interpretum per hunc loquendi modum, *transire sub virgam*, intelligunt, quòd omnia *pecora* fuerint *decimanda*, quæ pascuntur sub custodia pastoris; quasi eô respiciatur *pedum* seu *custodum virga*, quâ regunt pecora sua. Hebræi convenientius intelligunt per eum loquendi modum, *modum decimandi pecora*, qui ita habuit: *Is, cui fuerunt oves, aut boves, sic decimas separat. Cogit omnes oves & boves in angulum, in quo ponit angustam portam, quam duæ simul non possunt transire. Extra portam stant canes, ut oves, audientes ipsorum latratus, ordine prodeant, alterâ alteram sequente. Tum quidam incipit numerare virgâ; una, duæ, tres &c. Et decimam rubro signo notare, seu ea sit mascula, seu fœmella, perfecta, seu vitio laborans;*

tontades, Chiliades, Myriades, repetuntur, quis satis eruat? Figura ergò est *consummationis*, ubi finis ad principium revertitur. Istisque decimis Deus docuit, Israëlitas in omnibus ad sese reverti debere, nec degenerare à principio suo, à Patribus, à radice, à Deo. Hinc Decima pars dicitur salvanda. *Esa.* VI. 13. *Amos.* V. 3. Sic decem sunt præcepta, decem talenta, decem urbes, quibus servi fideles præficiendi, decem ahena, decem mensæ, decem lychnuchi 2. *Chron.* IV. 1-8. decem cortinæ *Exod.* XXVI. 1. &c. &c. Dimidium autem divini & perfecti hujus numeri, est Numerus *quintus*; figura apostasiæ à Deo, & Atheismi. Hinc quintus Angelus Sardicus est. *Apoc.* III. 1-3. In bis quinque dividuntur virgines, præstolantes sponsum. Quinque Amorræorum Reges, ex quinque arboribus suspensi. Quinque principes Philistæorum 1. *Sam.* VI. 4. 5. Hinc *quintas* in Ægypto, Antichristianismi typo, pendunt. *Gen.* XLVII. 24-26.

Landesbibliothek Oldenburg

borans; *dicitque*, *hæc est pro decima*. *Salomon Jarchi Lev.* XXVII. 32. & *Maimon. de Primog. cap.* 7. *sect.* 1. 5.

VIII. Judæi, etsi in peregrino morentur solo, patriâ sede Leviticoque Sacerdotio exuti, qui videri volunt religiosiores, vice *decimarum*, dispertiuntur egenis *decimam* redituum suorum *partem*, certò persuasi, quòd Deus ipsorum sorti eò, ampliorem benedictionem sit affusurus; Tritissimum enim Proverbium hoc apud ipsos fertur: תעשר בשביל שתעשר *Decimato propterea, ut ditescas.*

IX. 3. *Tempus* anni, à quo *decimas* pendendas computabant, varium fuit. *Ab Elul ad Elul*, h. e. ab *Augusto* ad *Augustum*, supputabant, ut pecus ritè *decimarent*; à *Tisri ad Tisri* verò, h. e. à *Septembri* ad *Septembrem*, propter frumentum, legumina & herbas; à *Schebat ad Schebat*, h. e. *Januario* ad *Januarium*, propter arborum fructus. *Talmud. tract. de novo anno, ab initio. Buxt. Synag. Jud. c.* 12. Item *Mos. Kots. in præcept. affirm.* 136.

X. In hac *Synopsi* (quam *Sixtinus Amama* mutuatus est à (3) *Scaligero*) ob oculos ponitur *modus decimandi* inter Israëlitas usitatus.

6000.

(3) Hanc tabulam delineat *Scaliger in Opuscul. Cocc. in Comment. Amos.* IV, 4. *Burman. c. l.* & *Weemse Synag. p.* 141.

6000. *Modios uno anno.*
100. *Modii ad minimum* à colono pendendi erant Sacerdotibus pro *primitiis areæ.*
5900. *Modii* relinquebantur colono, ex quibus duas solvebat *decimas.*
590. *Modii* erant *prima decima* pro Levitis.
59. *Modios* dabant Levitæ Sacerdotibus, qui vocabantur *decimarum decimæ.*

Prædium coloni tulit.
5310. *Modii* reliqui erant colono, ex quibus dependebat *decimam secundam.*
531. *Modii* erant *secunda decima.*
4779. *Modii*, omnibus solutis, proprii remanebant colono.
1121. *Modii* erant summa utriusque *decimæ* conjunctæ; quod plus est quàm *sexta pars* totius, nempe 19. de 100.

XI. Præterea sciendum est, quòd corruptis temporibus plerumq; cœperint *decimæ* (4) negligi, ipsius

(4) Quanquam corruptis illis temporibus omnia pessum irent, *decimæque* ex mandato Dei dandæ, forsan à pluribus non penderentur, superstitio tamen Pharisaïca, ex minutissimis etiam herbis *decimas* solvens, facilè paucorum, respectu prioris ævi, Sacerdotum Levitarumque cellas καὶ ἀποθήκας ditavit, præsertim cùm post captivitatem

ipsius etiam *Hiskiæ* ætate, adeo ut *Inspectores* instituerentur, qui *decimationem* fidelem curarent. 2. *Chron.* XXXI. 12. 13. Hoc non obstante, circiter centum & triginta annis ante incarnationem Salvatoris nostri, partim incuriâ *Curatorum* seu *Inspectorum*, partim avaritiâ populi, ita corruptio invaluit, ut populus omnes in genere *decimas* negligeret; imò nemo aut pauci vel *primam*, vel *secundam*, vel *pauperum decimam* solverent; sed תְּרוּמָה גְדוֹלָה *oblationem magnam* tantùm fideliter penderent. Ob hanc causam, dicit *Moses Kotſ. fol.* 199. *col.* 3. *Diebus Johannis Sacerdotis, qui Simeonem justum secutus est* (credo quòd putet *Johannem*

tem Babylonicam Deus largiter terræ Canaan benediceret, eaque, continuo annorum multorum fluxu, omni rerum copiâ abundaret. Hinc Christus toties Levitarum Sacerdotumque avaros ex divitiis animos perstrinxit; *Frumentator* ille juxta omnes circumstantias Levita fuisse videtur, *Luc.* XII. & *Dives* ille, *Luc.* XVI. Sacerdos. [1] Quia ad Pharisæos de divite hoc dicebat, quorum multi etiam Sacerdotes. [2] Quia, uti Sacerdotes, purpurâ & byſſo amictus erat. [3] Quia quotidie splendidè victitabat, nim. ex *decimis* vindemiæ, messis, olei, aliorumque fructuum. [4] Quia in præcedentibus Christus egerat de dispensatore injusto, qui laudatur, quòd citatis debitoribus, quorum alter centum batos olei, alter centum batos tritici debebat, multum remiserit; atqui is dispensator Sacerdos vel Levita videtur esse, debitores Israëlitæ pauperes, qui oleum & triticum *decimare* debebant. Verùm dices, non dicuntur illi debitores quidpiam debuisse dispensatori, sed Domino? Resp. Quando Israëlitæ vel de *sacrificiis*, vel *decimis*, dabant Sacerdotibus, tum dicuntur ea Deo dedisse & debuisse.

Landesbibliothek Oldenburg

nem Hyrcanum) decrevit Senatus magnus seu Sanhedrin, ut ordinarentur curatores decimarum.

XII. Circa hoc tempus multæ res in dubium vocatæ sunt, utrùm etiam *decimandæ* essent, an non? Quare decidit Synedrium, quòd in rebus dubiis, (quas vocabant (5) דְּמַאי) quanquam nec *primam*, nec *pauperum decimam* solverent, solvere tamen deberent *decimam secundam*, & *oblationem parvam*, nempe אֶחָד מִמֵּאָה *unam partem de centum. Mos. Kots. ibid. Mentha, anethum, & cuminum* videntur fuisse *è numero dubiorum*, de quibus, etsi decretum Senedrii imperaret tantùm *unam partem de centum*, Pharisæi tamen justam *decimam* persolvere satagebant. *Matth.* XXIII. 23. Hinc gloriantur, *se decimas dare omnium, quæ possideant. Luc.* XVIII. 12. Quâ in re superant cæteros Judæos, qui utuntur privilegio à Synedrio concesso.

LI CAP.

(5) Singularis in Talmude tractatus est, quem vocant *Demaï*, ubi anxiè inquirunt, quid ad *Demaï* referri possit, quid non, quidque ab omni *decimatione* planè liberum sit, quid ad eandem teneatur? vix tandem invenerunt Magistri, 1. ad *Demaï* non teneri, *ficus sylvestres*, *malogranatorum* genus, *sorbum* arborem, *dactylos* à palma deciduos, speciem quandam oleris *anetho similem*, *capparim*, *coriandrum*, & alia. 2. Ob *Demaï* verò *decimanda* esse, *massam caricarum*, *dactylos*, *cuminum*, *anethum*, *mentham*, *oryzam*. Generalis *decimandi* regula fuit: *Quidquid cedit in cibum, nasciturque ex terra, non communis juris esse, sed decimationi subesse.*

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. IV.

De Matrimonio.

I. IN hoc capite de *Matrimonio* notanda veniunt. *I. Distinctio conjugum* seu *mulierum. II. Modus despondendi. III. Ritus nuptiarum. IV. Formula divortii.*

II. I. Patriarchæ in V. T. habebant *duas uxorum species*; utraque ipsarum legitima censebatur, *uxoresque* erant, & propterea utriusque quoque liberi legitimi æstimabantur. Hebræi plerumque alteras vocabant נָשִׁים *uxores præcipuas*, ductas solennibus nuptiarum ritibus. Quidam deducunt hanc vocem à נָשָׁה *oblitus fuit*, *quasi obliviosæ dictæ*, quòd plerumque minùs memoriâ valeant, quàm mares. Verùm, non hallucinari videntur, qui dicunt, quòd fœminæ ita denominentur de (1) *oblivione*, quia *paternæ familiæ oblivi-*

(1) Non illepida est illorum derivatio, qui נָשִׁים dici putant ab אִנְשִׁים per aphæresin capitis אִ, ὅτι ὁ ἀνήρ ἐστι κεφαλὴ τῆς γυναικός, *Eph.* V. 23. Sed à נָשָׁה deducitur, aut quia ipsæ fœminæ nuptæ facilè obliviscuntur parentum paternæque domûs, agglutinatæ sponsis, aut à contrario, quòd vix conceptam iram dimittant, nec illatæ injuriæ obliviscantur, aut quòd paterna familia in iis obliteretur, ipsæque oblivioni tradantur. Ultima ratio derivationis probabilissima; nam sic quoque נְקֵבָה

fœmina

oblivione premuntur & quasi obliterantur in Filiabus nuptis. Hinc natum illud tritissimum Hebræorum: מִשְׁפַּחַת אֵם אֵינָהּ קְרוּיָה מִשְׁפָּחָה *familia matris non vocatur familia. Aben-Esr. Num.* I. 2. Et è contrario *mas à memoria* dicitur זָכָר, quia in filio patris memoria conservatur, (†) juxta illud dictum *Absalonis*: *Non est mihi filius,* בַּעֲבוּר הַזְכִּיר שְׁמִי *propter memoriam nominis mei. 2. Sam.* XVIII. 18. Eandem prolis masculæ rationem habitam apud Græcos, testatur *Euripides*: Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδες ἄρσενες, *Fulcra domûs sunt mascula proles.*

III. Posteriorem *fœminarum* speciem vocabant פִּילַגְשִׁים *Pellices, uxores secundarias*; quam vocem

fœmina derivatur à נָקַב *expressit, expunxit*, quia in fœminis expungitur domus paterna. Quæ autem fuerit differentia inter has *uxores* & *pellices*, vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 2. §. 8.

(†) Non rejicienda est *Forsteri* conjectura, scil. quòd זָכָר Mas ita appelletur, quia sit, Dei *memoriale* & monumentum, seu, uti Paulus loquitur, *Gloria.* Latinorum autem *Mas* absque dubio *fortitudinem* notat, & tantundem est, ac *Mars.* Nam ut Græcis Ἄρης ab Ἄρης descendit, duplicatâ caninâ literâ, ut vox magis mascula reddatur; Sic latini fecêre *Mas* ex *Mars*, ejectâ literâ caninâ, Euphoniæ gratiâ, vel ex *Mamers*, quod idem est ac *Mars*, & fortem olim significavit. Nisi malis à *Chald.* מרא deducere, quod notat *Dominum.* Vid. supr. in voce *Maranatha.* Hinc *Arabum* מר, *maritus*, quibusdam derivatur.

Landesbibliothek Oldenburg

cem quidam compositam esse ajunt ex פלג *dividere*, & אשה *uxor*, quasi *uxor divisa* & *dimidia*; vertimus *concubinas* plerumque, & quidem non incommodè, nam ipsa Hebraïca vox notat subinde *obscœnum prostibulum*, aut *vulgare scortum*.

IV. Differentia inter has *concubinas* & *uxores primarias* multiplex erat.

V. 1. Ratione *disparitatis* in regimine familiæ; *Uxor primaria* erat tanquam *hera*; *concubina* tanquam *serva*, quæ solo *thori jure* fruebatur æquè ac *uxor primaria*, in reliquis cunctis inferior. Et hoc patet ex historia *Saræ & Hagaris*.

VI. 2. Ratione *desponsationis*; *Uxor primaria* ducebatur à marito certis donis & solennibus sponsalibus, tanquam pignoribus contractûs conjugalis. Sic dispensator domûs Abrahami (qui verisimiliter putatur fuisse (2) *Eliezer*, cujus fit mentio *Gen.* XV. 2.) nomine *Isaaci dedit Rebeccæ instrumenta argentea & aurea ac vestes Gen.* XXIV. 53.

Hic

(2) *Eliezer* res pretiosas dederat puellæ, antequam sponsalia agerentur, unde à quibusdam putatur voluisse virginis animum his donis inescare. *Gen.* XXIV. 22. Hinc etiam verba coram *Labane* facturus non orditur de pietate *Abrahami*, nec de probitate *Isaaci*, aut quomodo ille patris vestigia premat, sed de opulentia heri sui, spe filii, deque auro, gregibus, servis &c. vers. 34. 36. eodem modo, quo hodierni homines, quibus in despondendis filiis & filiabus quærenda pecunia primùm, Virtus post nummos. Excusat autem *Eliezerum Lydius ritib. sponsal.* Quicquid sit, servus fuit, & serviliter, fideli licet animo, loquitur.

Landesbibliothek Oldenburg

Hic ritus etiam obtinuit apud *Græcos*; qui hæc dona vocârunt ἕδνα *dona jugalia.*

Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω
Πρὸς ὦκον Πηλῆος.

Harum quam velit dilectam sine dote abducat ad domum Pelei. Homer. Iliad. IX. *vers.* 140. Præterea *uxor primaria* accepit à marito *scriptum* seu *instrumentum dotale*, cùm *concubinæ* seu *pellici* neque *donum* neque *scriptum* daretur. *D. Kimchi. 2. Sam.* V. 16.

VII. 3. Ratione *liberorum.* Soli liberi *uxoris primariæ* erant hæredes paternorum bonorum, liberi autem (*) *Pellicis* dono emittebantur. *Abraham dedit Isaac quidquid habebat, filiis autem concubinarum, quas habuit Abraham, dedit dona. Gen.* XXV. 5. 6. Hîc in transitu notetur, quòd primogeniti, jure primogenituræ, acceperint *duas paternæ hæreditatis portiones. Pater dabit ei portionem duplam ex omnibus, quæ inveniuntur ei, nam est initium vigoris ipsius. Deut.* XXI. 17. Hunc morem respexit *Elisa*, petens, *ut duplo super se esset Eliæ spiritus*, 2. *Reg.* II. 9. h. e. ut super se essent duæ portiones spiritûs ejus, respectu reliquorum Prophetarum, seu

 potiùs

(*) *Pellex* Latinorum absque dubio venit à *Græc.* παλλακίς; quæ vox significat *concubinam juvenculam*, & παλλακίς citra controversiam ab *Hebr.* פִּילֶגֶשׁ. Nec obstat, quòd Latini eam derivare velint à *pellicio*, quòd alienos ad se pelliciat viros, uti *illex* ab *illiciendo*, vel quoque à *pello*, quòd justam uxorem thoro pellat; unde *Juno* apud *Senecam* initio *Herculis fur.* ait:

Locumque cœlo pulsa pellicibus dedi.

Landesbibliothek Oldenburg

potiùs *filiorum Prophetarum*, inter quos locum primogeniti fratris obtinebat, adeoque primogenituræ jus petebat. Sic ut putandum non sit, eum superciliosè ambiisse majorem spiritûs mensuram, quàm super Elia quiesceret, sed quòd petîerit excellere reliquos Prophetarum, quibus deinde *pater* factus est. Hebraïcus loquendi mos in utroque loco idem; פי שנים *partem duorum.*

VIII. II. *In modo despondendi* notanda sunt. I. *Intervallum temporis*, intercurrens *sponsalia & nuptias*; quod quibusdam visum est *annus plenus*, minimùm *decem menses*: & hoc colligunt ex historia *Rebeccæ*, cujus frater & mater respondent servo Abrahami, filiam non statim commigraturam esse, sed minimùm *decem dies* post sponsalia mansuram. *Gen.* XXIV. 55. Quem textum exponunt *decem menses*, ac per hos intelligunt שנת ימים *annum dierum. Gen.* XLI. 1. *Onkelos & R. Salom.* Sed non admittimus hanc expositionem, nam, etsi nostra versio habet, *at least ten dayes*, *ad minimum dierum decadem*, convenienter τοῖς LXX. & fonti, non tamen sequitur, quòd hoc tempus sumendum sit pro complemento definiti spatii, intercurrentis sponsalia, & nuptias; sed potiùs prodit tenerum matris amorem, nolentis tam maturum filiæ discessum. Nihilosecius plausibile est, quòd intercesserit intervallum temporis, inter *sponsalia & nuptias* ipsas, licèt id definitum non

non ſit, aut determinatum certo *dierum*, *hebdomadarum*, *menſiumve* numero.

IX. 2. Secundum, quod obſervandum eſt hîc, eſt *ritus contrahendi* matrimonium, qui in Iſraële triplex fuit; fiebat enim contractus 1. *Argento*. 2. *Scripto* ſeu inſtrumento. 3. *Copulatione*; & hæc omnia *præſentibus teſtibus*; בְּכֶסֶף אוֹ בִשְׁטָר אוֹ בְּבִיאָה וְכוּלָּן בְּעֵדִים *Nummo, aut literis contractis, aut ingreſſu, & hæc omnia coram teſtibus. Moſ. Kotſ. fol.* 124. *Nummo*; fuerit etiam (3) λεπτόν aut pretium æquivalens. Eo tempore maritus his verbis & ſimilibus uſus eſt: הֲרֵי אַתְּ מְקוּדֶשֶׁת לִי *Ecce tu es deſponſata mihi*, *Maimon. in Iſchoth. c.* 3. *ſect.* 1. deditque nummum ſponſæ

(3) *Cod. Kiddufchin cap.* 1. §. 1. *Uxor acquiritur tribus modis, acquirit ſe-ipſam duobus. Acquiritur argento, libello, coïtu. Argento: ſecta Schammai ait; denario, aut quod valet denario. Secta Hillelis ait: Perutâ, aut quod tanti eſt. Quantum igitur valet peruta? octavâ parte aſſarii Italici.* Inferius dicetur *cap. ultimo de nummis*, quid fuerit פְּרוּטָה. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 2. §. 2. *not.* 1. Romanis etiam triplici modo acquirebantur uxores, *uſu*, *confarreatione*, *coëmptione*. Sponſalia eorum auſpicatò fiebant à *cornice* aut *turture*, quia utrumque animal adeo ſui comparis ſtudioſum, ut, eo morte affecto, ſuperſtes, nullius præterea conjunctionem appetere dicatur. In ipſis ſponſalibus dabat ſponſus ſponſæ *annulum pronubum*, &, ut *Plinius* autor eſt *lib.* 33. *c.* 1. *ferreum ſine gemma*; cujus *annuli* materia *conſtantiam*, forma *ſimplicitatem* & *æternam perpetuamque vinctionem* denotabat. *Salmuth. ad Panc. Rer. Deperdit. de Nuptiis.*

Landesbibliothek Oldenburg

in oculis testium. *Scripto*; scripsit autem hâcce sequentique formulâ: *esto mihi desponsata*; quod instrumentum ipsi præbuit coram testibus, subscripto illorum nomine, alioqui desponsatio irrita fuisset. *Copulatione*; ubi hæc verba orsus est: *Ecce, tu eris mihi disponsata copulatione.* Et sic cum ipsa unitus est coram duobus testibus; quâ copulatione factâ erat ipsius *conjux*. Ubi autem cum ea se commiscuerat modo illicito, & cum nondum desponsata, aut factâ sponsatione clancularia sine testibus, non fuit hæc desponsatio rata habita. Utcunque sit, interdictum ipsi fuit secundo concubitu ante peractas ritè nuptias. Et quanquam desponsario fieri poterat singulis his modis, plerumque tamen fiebat *nummo*. Sique volebant, licebat fieri *instrumento literarum*; ast desponsatio, facienda *commixtione*, interdicta erat Israëlis statutis, & qui contrà iverat, cædebatur virgis, etiamsi desponsatio firma staret. Hi solennes ritus sponsales peragebantur à marito & nova nupta sub tentorio seu *papilione* hunc in finem erecto, quem suâ linguâ dicunt חופה *tabernaculum*. *Elias Thisb.* Huc alludit *Psalmista Ps.* XIX. 5. 6. *In iis Soli posuit tentorium. Et ipse est ut sponsus, prodiens ex thalamo suo; alacris est ut heros, ad decurrendum iter.*

X. III. *Ritus* (4) *nuptiales* peragebantur in concio-

(4) Alii insuper fuerunt antiquis & sunt hodiernis Judæis *nuptiales ritus*, quàm quos tangit Autor hoc capite. Vid.

cione minimùm *decem hominum*, in benedictionibus & gratiarum actionibus ad Deum; unde ipsa domus vocatur בית הלולא (5) & epithalamia הלוליים *Hymni*. Sponsi *amici intimi*, qui comitabantur ipsum, hocce epithalamii cantan-

Vid. *Lightfoot Job. 2. Buxtorf. Synag. Jud. cap. 28. Lydii ritus nuptiales.* Apud Romanos varii & plurimi fuerunt *nuptiales ritus.* Vid. *Salmuth. loc. cit. Rosin. Antiq. Rom. l. 5. c. 37. 38. Goodwin. Antbol. Hist. Rom. l. 2. sect. 2. c. 20. Hildebrand. Antiq. Nuptial.* Apud Græcos quoque erat hoc sanctissimum coëuntium pignus; ut divisum gladio panem sponsus uterque libaret; forsan qui gentis mores condiderunt, parco & parabili victu ostendere voluerunt jungentibus opes, quantulo contenti esse deberent. *Q. Curt. l. 8. c. 4.* Similem ritum notat *Stukius Tigurinus conviv. Antiq. 1. 30.* Huc alludere putatur *Hoseas* III. 2.

(5) Duæ aliæ videntur posse esse rationes, cur domus nuptiarum & epithalamia ita dicta sint. 1. Quia epithalamio ibatur in laudes sponsæ, nam tripudiando cantabatur hocce: *Non opus ei fuco, aut complicatione capillorum, ipsa formosissima est.* 2. Potissimùm, quia in V. T. illi, qui conjugio multisque hæredibus dotati erant, *celebrabantur*, dum quisque terram Canaan à suo semine, multa in copia hæreditari optabat. Unde steriles & cœlibes inter eos flocci pendebantur, imò sterilitas probro ducebatur. *Luc.* I. 25. Hinc *celebrari* ponitur pro *connubio jungi Psal.* LXXVIII. 63. *Virgines illius* לא הוללו *non sunt celebratæ*, h. e. Virgines plurimæ speratis nuptiis per mortem sponsorum exciderunt, & sic non ductæ sunt. *Jud.* IX. 27. הלוליים pro *festivitate* legitur.

Landesbibliothek Oldenburg

tes, appellabantur υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος (6) *filii thalami. Matth.* IX. 15. Tales videntur fuisse *triginta illi socii*, quos assumpsit Simson. *Jud.* XIV. 11.

XI. Formula hujusmodi benedictionis latè describitur à *Genebrardo*; cujus summa hæc est. Præcipuus horum sociorum, sumpto calici benedicit, inquiens: *Benedictus tu Domine Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis*; deinde pergit: *Benedictus sit Dominus Deus noster, Rex mundi, qui creavit hominem secundùm imaginem suam, secundùm imaginem similitudinis suæ, & paravit eo sibi ædificationem æternam; Benedictus sis tu Domine, qui eum creâsti.* Postea sequitur: *Benedictus tu Domine, Deus noster, qui creâsti gaudium & lætitiam, sponsum & sponsam, charitatem & amorem fraternum, hilaritatem & jucunditatem, pacem & societatem. Precor te, ô Domine, citò audiatur in civitatibus Judæ & vicis Hierosolymæ vox gaudii & lætitiæ, vox sponsi & sponsæ: vox exultationis in thalamo dulcior est omni festo, & liberi suaviores, quàm suavitas*

(6) Hebræis dicebantur בְּנֵי חֻפָּה *filii conopæi*, socii sponsi. Præter hos autem duo alii fuerunt שׁוֹשְׁבִנִים *socii* dicti, quorum alter erat ὁ φίλος τοῦ νυμφίου *amicus sponsi Joh.* III. 29. alter sponsæ, ministrabantque eis, tempore præsertim ingressûs in thalamum, caventes ne quid fraudis esset circa signa virginitatis. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. cap.* 11. §. 76. *not.* 1. & *Lightfoot. Joh.* II. Sic Romani habebant suos paranymphos, qui sponsum in domum soceri deducebant, & nymphagogos, aut promnestrias seu pronubas, sponsam ducentes. Vid. *Matth. Mart. Lex. Phil.*

Landesbibliothek Oldenburg

ſuavitas omnis cantionis. Hoc finito, propinat (7) conjugibus novis.

XII. Hic ritus celebrandi Deum hoc tempore non fuit ſupervacaneus & fruſtraneus; ſiquidem fructus ventris expectabatur à Deo, tanquam ſingularis benedictio; quod agnoſcunt Judæi, dicentes: *Quatuor claves* ſunt in manu ejus, qui totius mundi Dominus cluit, quæ nec *Angelis* nec *Seraphimis* concreditæ ſunt; nempe, מפתח מטרא מפתח פרנסה מפתח קבורה מפתח עקרתא *clavis pluviæ, clavis cibationis, clavis ſepulcrorum, & clavis ſterilitatis. Targum Hieroſol. Gen.* XXX. 31.

XIII. Quod attinet *clavem pluviæ*, ſic loquitur Scriptura: *Aperiet tibi Dominus theſaurum ſuum bonum, cœlos, ad mittendum pluviam in terram tuam. Deut.* XXVIII. 12. Quod attinet *clavem cibationis*, ſic legitur: *Aperis manus tuas, & ſatias omne vivens bene-*

(7) Hodierni etiam Judæi, quando novi ſponſi ſub dio ante oſtium Synagogæ copulantur, duos vitreos cyathos habent anguſto collo, è quibus bibunt ſponſi. Primum cyathum, non evacuatum penitùs, ſponſus jaculatur in ſtellam è lapide ſupra fores Synagogæ cælatam. Tum lecto inſtrumento dotali & demurmuratis quibuſdam precatiunculis, Rabbinus alterum ſponſis cyathum præbet, quem ferè plenum impingit rursùs in iſtam ſtellam, attentâ Judæorum circumſtantium turbâ, num ſcopum attacturus ſit. Rationem hujus jaculationis non didici, & credo quòd alia ſit, quàm ea, quam adfert *Buxt. Synag. J.c.* 28. quaſi eâ confractione triſtem devaſtati templi memoriam incuteresibi velint.

Landesbibliothek Oldenburg

benevolentiâ. *Ps.* CXLV. 16. Quod attinet *clavem sepulturæ*, ita habetur; *Ecce ego aperiens sepulcra tua*, *Ezech.* XXXVII. 12. Quod attinet *clavem sterilitatis*: *Deus recordatus est Rachelis, & aperuit matricem ejus.* *Gen.* XXX. 32. Quibus docetur, quòd has quatuor res Deus sibi suæque potestati reservârit, scil. *pluviam*, *alimenta*, *resuscitationem nostrorum corporum*, *& propagationem generis.*

XIV. *Tempus nuptiarum* plerumque videtur fuisse *septem dierum.* Vid. *Thisbit. in* חתן. Simson nuptiarum suarum festum celebravit *septem dies.* *Jud.* XIV. 13. Et de his septem nuptiarum diebus intelligunt Theologi illud *Labanis* ad *Jacobum* de *Lea*: *comple septimanam hujus, tum dabimus tibi quoque istam.* *Genes.* XXIX. 27. *August. Quæst. Gen. super Genes.* c. 88. Quo dicto putatur petiisse, ne Jacob repudiaret Leam, sed confirmaret præsens connubium, *complendo ordinarium nuptialium dierum numerum.* Ab hoc ritu, ut & ab illo Josephi, *septem diebus* lugentis patrem, *Gen.* L. 10. ortum est illud inter Judæos proverbium: *Septem ad convivium, septem ad luctum.*

XV. *Summus nuptiarum moderator* vocatur בַּעַל מִשְׁתֶּה, quod nomen aptè exprimitur per illud, (*) Ἀρχιτρίκλινος. *Joh.* II. 9. Hodierni Judæi

(*) *Sup. Cap. de conviviis* diximus quæpiam de hac voce. Hic saltem nota, quòd in *Glossis Isidori* hæc vox exponatur *Major Domûs*; quod dignitatis nomen in *Gallia* olim usitatissimum fuit, notavitque Aulæ magistrum, seu *Palatii*

Judæi in *Italia*, invitantes quempiam ad nuptias, hæc ajunt: N. N. *invitat te, ut testeris conjugium filiæ suæ præsentiâ tuâ in nuptiis*, &c. cui regerit invitatus: מזל טוב *Stuk. de conviv. l. 2. c. 3.* Quod quidam dicunt esse vulgarem gratulationem; *Fortuna bona!* verùm, potiùs putem, quòd novis conjugibus adoptata eo sit *singularis benedictio in generanda prole*; hinc annulo pronubo idem hoc inscriptum erat; מזל טוב *Munst. Gen.* XXX. Hebræi etiam *Planetam Jovis* vocant מזל, cujus influxum magnæ virtutis in generatione esse reputant. Sed *Mazal* notat alium quemcunque *Planetam* aut sydus cœli, juxta illud Hebræorum tritum: *Non est tibi ulla herba inferiùs, cui non sit Mazal, sydus, in firmamento*; & τὸ *Mazal ferit ipsam, & dicit ei: Cresce.* Sic, quia etiam טוב notat *bonum*, phrasis ista sonabit: *fiat faustâ horâ*, aut *sub bono Planeta!* (†)

XVI.

Palatii comitem aut Judicem, den Pfaltz-Graff / *Archidapiferum*, den Hoff- und Speißmeister. Cæterum de Trieliniis veterum scripsêre *Ciacconius* ac *Fulvius* nec non *J. Lipsius* & *Stukius*, aliique.

(†) Omnes penè nationes siderum influxum & vires credentes, pro conjunctionibus stellarum faustos vel infaustos annos, menses, dies, horas, reputarunt. Antiquis *Gothis* præprimis illa sententia, curaque fuit, ut *sidera considerarent* in rebus agendis, (nam verbum *considerare* proprium est Astrologorum, uti θεωρεῖν Theologorum, à θεὸν ὁρᾶν, dicente *Vossio* in *Etymol.*) à quibus

Danica

XVI. *Tempore nuptiarum* tradit quoque maritus uxori *instrumentum literarium*, scribente id Notario, solvente sponso. Hujus vigore sponsus sponsæ dat 200 *denarios*, h. e. 50 *siclos*, si sit virgo; sin autem vidua, 100 *denarios*, h. e. 25 *siclos*. Hæcque summa vocata est *radix*, seu *præcipua dotis pars*. (8) Dos non poterat esse minor, sed major, pro lubitu sponsi, adæquans licet talentum auri. Memoratur contractus inter *Tobiam* & *Saram*, formatus

Danica Gens etiamnum hoc retinuit, ut eximii sint Astrologi. Nostri *Germani* itidem ab antiquis temporibus propitias & benevolas stellas earumque influxum credebant; unde nos hodieque dicimus; **der Mensch hat keinen Stern**; item, **es ist kein Stern bey der Sach!** h. e. *Est infelix homo*; item *non est ei sors prospera*! Chinenses in ista opinione, ad superstitionem & insaniam usque, hærent fixi. Nil ferè agunt vel in publicis vel privatis rebus inconsulto Astrologo quopiam. Atque quùm quinque ipsis sint *Elementa*, & quinque *Planetas* eis dedicarunt, horumque conjunctiones summâ solicitudine observant, *Saturnum* appellantes *stellam Terræ*; *Jovem*, *stellam Ligni*; *Martem*, *stellam Ignis*; *Venerem*, *stellam Metalli*; *Mercurium*, *stellam aquæ*; Nam *Lignum* & *Metallum* ipsis Elementa sunt, *Aër* neutiquam.

(8) Dos, quam maritus uxori attulit, ratione diversarum gentium diversa fuit. *Strabo* refert, quòd apud *Carmanos* non licuerit juvenibus priùs cum uxore jungi, quàm caput hostis ad Regem tulerint. Unde ille mos inter Judæos antiquos, præprimis, cùm Cananitæ necdum jugo colla subderent, obtinuisse putatur, sic, ut *Caleb* superanti *Kiriath-Sepher* promiserit filiam suam *Achsam*, & *Saul* superanti *Goliath* Philistæum, filiam suam *Merob*. Verùm existimem, hoc non tam usu receptum fuisse apud Judæos, quàm paucis exemplis extraordinariis contigisse.

Landesbibliothek Oldenburg

tus non per *Notarium*, ſed *Raguelem*, ſponſæ patrem. Ubi notandum, quòd ante exarationem hujus inſtrumenti literarii facta fuerit *traditio mulieris, traditæ marito*; His verbis adhibitis: *Ecce ſecundùm legem Moſis accipe illam. Tob.* VII. 15.

XVII. Apographum hujus *inſtrumenti dotalis* ſumptum eſt à *Bertramo* ex *Talmude Babyl.* Vid. *Buxtorf. Grammat. Chald. pag.* 383. Summaque hæc eſt: *Sexto ſeptimanæ die, quarto menſis Sivan, anno* 5254. *à Cond. M. juxta computum, quo utimur hîc Maſſiliæ, urbe ſitâ ad mare Schoar, ſponſus Rabbi Moſes, filius R. Jehudæ, dicit ſponſæ, Claronæ, filiæ ex R. Davide R. Moſis, civis Liſſabonenſis filio. Sis mihi in uxorem ſecundùm legem Moſis & Iſraëlis, & ego ſecundùm Dei verbum te colam, honorabo, alam, regam; ſecundùm morem virorum in Iſraële, qui ſuas conjuges colunt, honorant, ſuſtentant, fideliterque regunt. Do quoque tibi dotem virginitatis tuæ,* 200. *denarios argenteos, qui tibi debentur juxta legem, ut & alimentum, veſtimenta, & ſufficientes neceſſitates, nec non cognitionem juxta conſuetudinem univerſæ terræ.* Sic *Clarona* virgo acquieſcit hoc, fitque conjux *R. Moſis* ſponſi, Fil. *R. Jehudæ.*

XVIII. Finitis *nuptiis*, uxor à marito tria poſcere poterat. 1. *Alimenta.* 2. *Veſtimenta.* 3. *Concubitum*, ſeu jus thalami; quod notant ex *Exod.* XXI. 10. *Si aliam accipiet ſibi, alimentum ejus, veſtitum ejus, officium debiti conjugalis, non ſubtrahet.* Quò reſpicit Apoſtolus, id officium vocans εὔνοιαν ὀφειλομένην *debitam benevolentiam.* 1. *Cor.* VII. 3.

XIX. Uxor, cùm primùm oſtenderetur marito,

rito, texit caput (9) *tegmine* in signum *subjectionis*. *Rebecca accepit peplum, & operuit se. Gen.* XXIV. 65. Proptereaque (nempe in signum *subjectionis*) debet mulier ὀφὶ τ κεφαλῆς ἐξουσίαν ἔχειν. 1. *Cor.* XI. 10. Ubi per ἐξουσίαν *potestatem* Apostolus intelligit *velamen*. Si quis quærat, cur *velamen* nominet *potestatem*, præsertim cùm sit nota subjectionis? Resp. Apostolus, quum fuerit *Hebræus ex Hebræis*, potuit respexisse Hebraïcum vocabulum רדיד, quod notat *velamen*, descenditque à verbo רדד *subdidit*, *subjecit*, *potestate usus est*; & sic vox Græca ἐξουσία eodem sensu, quo Hebræa, sumi potest. Et sane, quid est illa sub viro *subjectio*, nisi *potestas & protectio* uxoris, si conferamus pristinum virginitatis ipsius statum? Et proinde marito zelotypiâ adversùs illam accenso, inter alia tristia signa

(9) Quid illud *peplum* seu *tegmen*, Judæis usitatissimum, denotârit, superiùs jam dictum est. Idem mos Romanis familiaris fuit, ut sponsa, cùm duceretur ad sponsum, *flammeo* obnuberetur, unde *nuptiæ* dictæ sunt à *nubendo*. Erat autem ipsorum *flammeum* lutei seu rutili coloris, ut ne virginis pudor proderetur, aut si quid animadverteretur in facie ruboris, is è velo color, non è genis, emicare videretur. Hinc *Claudian. lib. 2. de Raptu Pros.*

——— *vultibus addunt*
Flammea sollicitum prævelatura pudorem.

Et *Lucan. l. 2.*

Non timidum nuptæ leviter tectura pudorem,
Lutea demissos velârunt flammea vultus.

Vid. *Rosin. Antiq. l. 5. c. 37. Salmuth. ad Panciroll. l. cit.* Hodierni Judæi & sponsum & sponsam totos *peplis* involutos ante ostium Synagogæ copulant.

Landesbibliothek Oldenburg

ſigna jubebatur quoque ſtare, ad exploratiónem ſui, *nudato capite*, *Num.* V. 18. בלא רדיד *ſine Redid*, ἄνευ ἐξουσίας. (†) Sic ergo interpretor verba *Maimon. in Sota c. 3. ſect. 5.* Quo ſignificabatur, quòd ſi ſe purgare à crimine non poſſit; ἀπὸ τοῦ νῦν

 & in

(†) Autor putat, Apoſtolum 1. *Cor.* XI. 10. propterea ἐξουσίαν capiti nuptarum adjectam velle & pro רדיד vel כסות uſurpare, ut notet, ipſas non amplius virgines innuptas, ſine ulla poteſtate, ſed jam Heras eſſe, & poteſtate cum viro frui, quâ nudata fuerit mulier adulterii accuſata. *Num.* V. 18. Verum in contrariam ſententiam ire nos jubent multæ rationes. 1. Virgo potius *libera* fuit, & absque poteſtate, quàm nupta. 2. Eodem ad *Corinth.* capite Paulus demonſtrat Virum debere eſſe, & precari in conſeſſu ſacro, *nudato capite* & *revelatâ facie*, tanquam eum, qui ſit, aut ex quo reluceat, ἡ δόξα τοῦ θεοῦ, vel cujus Deum non *pudeat*, & quem non *pudeat* ad Deum appropinquare; planè aliter ac fiebat ſub V. T. ab Iſraëlitis, qui *ſervi* & non *liberi* erant. 3. Propterea ad denotandum, uxorem non debere tanquam liberam & ſui poteſtatem habentem, vel ἄνευ τιμῆς τοῦ προσώπου *absque honore vultûs*, uti LXX. *Gen* XX. 16. vertunt, in concione ſacra, ubi teſtes præſentes ſunt *angeli*, comparere, atque ſic contra gentium Aſiaticarum morem, vultûs honorem & pudorem *capitisque gloriam*, ſeu Virum, proſtituere, jubet illam habere ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξουσίαν, *in capite poteſtatem*, ſeu רדיד, *pallium muliebre*, *flammeum*, aut *velamen*, h. e. ſignum poteſtatis, ſub qua jam ſit, & quâ jam *tegatur* & *veſtiatur*; ne alioquin videatur ſubjectionis ſuæ oblita, non agnoſcere *capitis ſui*, ſeu Viri, *poteſtatem*, qui uxoris *gloria*, & honor eſt. Hinc l. c. ad *Corinth.* quædam exemplaria Græca, loco ἐξουσίας legunt περιβόλαιον, *amictum*, ſeu *amjectum*, einen Umbwurff.

Landesbibliothek Oldenburg

& in posterum exuenda sit omni potestate, quâ antea sub marito gavisa est.

XX. IV. Peractis nuptiis consummatoque conjugio subinde admissus est (10) *libellus repudii*, quem Hebræi vocant ספר כריתות, *Libellum abscissionis* (*quia uxor hoc pacto abscinditur à familia mariti*) *Græci* Βιβλίον ἀποστασίου, *Libellum abscessionis*.

XXI.

(10) Vix credi potest, quàm faciles & liberales fuerint Judæi ad scribendum tradendumque *repudii libellum*, abutentes illâ permissione *Deut*. XXIV. 1. Uxorem autem *repudiare* licuit. 1. Si cum vicino sermonem miscuisset. 2. Si visa esset immodesta. 3. Si usum linguæ amisisset. 4. Si ipsa mariti oculis non alluberet. 5. Si cibos nimio sale consperfisset. 6. Si formosior alia marito arrideret. 7. Imò si ulla aut nulla causa *dimittendi* adesset. Hærebant tamen Hypocritæ circa *dimissionem* uxoris primæ. Vid. *Cocc. Exc. Gem. c.* 2. §. 15. Multas alias quoque *repudiandi dimittendique* causas invenio apud *Christian. Gerson.* nim. 1. Si rogata non vult cum marito in terram sanctam proficisci. 2. Si quid viro comedendum dedit, quod non decimatum prius. 3. Vel de quo primitiæ non separatæ. 4. Vel si licito tempore cum marito nollet concumbere. 5. Vel si votum suum quodcunque non præstitisset. 6. Vel si nudo capite foras vel iret, vel foris neret. 7. Vel si cum cœlibe luderet. 8. Vel si diris devoveret & filium filiamve. 9. Vel si nollet iisdem pulcras vestes parare. 10. Vel si rusticâ durâve uteretur linguâ, ita ut in vicini ædibus audiri possit. 11. Vel si menstrua non certa haberet. 12. Vel si triennio non esset enixa infantem. 13. Vel si in publico lavacro se ablueret; quòd si præcedentium criminum quid in ea deprehensum est, sine dote domo ejici potuit, si verò sequentium, non nisi cum dote ea dimitti debuit, scil. 1. Si labes vel defectus corpus ejus dehonestaret. 2. Si multùm sudaret. 3. Si cicatrix à canis morsu remansisset. 4. Si

XXI. Decem res censebantur requisitæ fuisse tanquam fundamenta & rationes *repudii*. *Maim. de divort.* c. 1. *sect.* 1. nim. 1. *Ut non nisi sponte maritus ipsam repudiaret.* 2. *Ut dimitteretur libello, non ullâ aliâ re.* 3. *Ut summa libelli esset de repudiatione & expulsione ejus ex possessione.* 4. *Ut causa repudii esset inter ipsum & ipsam.* 5. *Ut scriberetur cum illius nomine.* 6. *Ut non deessent post ejus scriptionem actiones, præter insinuationem.* 7. *Ut traderet ei.* 8. *Et quidem coram testibus.* 9. *Atque secundùm legem repudii.* 10. *Ut*

4. Si ore fœtorem exhalaret. 5. Si ubera latam palmam distarent. 6. Si verruca ex fronte protuberaret. 7. Vel si altera mammarum esset major. 8. Vel si exerto collo in plateis obambularet. 9. Vel si infanti ubera publicè præberet. 10. Vel si netrices nocturnæ de ipsa sermones miscerent. 11. Vel si cibum pateretur aduri. 12. Vel si non posset maritus eam amare. 13. Vel si sciret elegantiorem ducere. 14. Vel si in ædibus suis mercatorem vel pharmacopolam deprehenderet, uxoremque cinctorium induentem. 15. Vel si sputum super lecto cerneret. 16. Vel si calcei uxoris eo starent loco, quo deberent mariti. *Divortia* quoque Romani facili negotio & causâ faciebant, sic, ut flaccescente formæ flore sæpè amor mariti flaccesceret, hinc *Juven. Sat.* 6. *vers.* 143.

Cur desiderio Bibulæ Sertorius ardet?
Si verum excutias, facies, non uxor amatur;
Tres rugæ subeant & se cutis arida laxet,
Fiant obscuri dentes, oculique minores,
Collige sarcinulas, dicet libertus, & exi
Ocyùs, & propera, sicco venit altera naso.

Sulpitius Gallus cum uxore *divortium* fecit, quòd eam foris nudo capite conversatam comperisset; *Cicero Terentiam* suam *repudiavit*, virginemque duxit apprimè dotatam, ut æri esset solvendo. *Plutarch. in vita Ciceron.*

Landesbibliothek Oldenburg

maritus, aut alius in hoc munus deputatus, traderet uxori.

XXII. Formula *libelli* illius hæc fuit: *Die hebdomadis N. Mensis N. Anni N. à C. M. computo, quo utimur hac in urbe N. sita ad fluvium N. in Provincia N. Ego N. filius Rabbi N. de provincia N. sed nunc habitans in loco N. prope ad fluvium N. volui cum summo animi consensu, & absque ulla coactione, ac repudiavi, dimisi, atque expuli te, te, inquam, N. uxorem meam de provincia N. filiam Rabbi N. habitantis in provincia N. & nunc in loco N. sito prope fluvium N. quæ antehac uxor mea fuisti. At nunc te repudio, dimitto, & te expello, ut libera & tui juris sis, abeasque & nubere possis alii alicui viro, cuicunque placuerit. Et nullum virum repudies propter me, ab hodierno die usque in perpetuum. Libera ergo & legitima es cuivis homini: Atqui hic esto tibi à me libellus repudii, epistola divortii, & literæ expulsionis, secundùm legem Mosis ac Israëlis.*

N. Filius N. Testis
N. Filius N. Testis.

Hæc forma reperitur apud *Mos. Kots. fol.* 133. Aliud exemplar ibidem habetur, item in *Mose Ægyptio, part.* 2. *fol.* 59. unde desumpta est hæc testium subscriptio, quam apposuimus.

XXIII. Hic *libellus* scriptus (11) est à Notario, *Salom.*

(11) *Libellus repudii* etiam has conditiones requirebat, videl. 1. Ut esset scriptus in loco, ubi duo flumina confluerent. 2. Linguâ Chaldaïcâ. 3. Atramento. 4. Super novo pergamento. 5. Non pluribus nec paucioribus quàm duodecim lineis. 6. A marito ipso, vel quos ad eam rem ipse delegâsset.

Landesbibliothek Oldenburg

Salom. Jarchi. Hos. I. 10. Præterea uxor *repudiata*, & *vidua*, *non poterant secundum conjugium ingredi*, *priusquam abiissent* 90. *dies post diem repudiationis aut mortis mariti & conjugii ultimi*, *eô fine*, *ut pateret*, *utrùm prægnans esset*, *annon?* & *ut liqueret*, *utrùm sit semen primi an secundi mariti?* *Maim. de divort. cap.* 11. *sect.* 18.

XXIV. Recepta apud (12) Romanos consuetudo fuit circa nativitatem Salvatoris nostri, ut

(12) Romanorum tamen uxores non dicuntur *repudiare*, sed *renuntiare* maritis, quemadmodum apud Athenienses ἀποπέμπειν de maritis, ἀπολείπειν autem de uxoribus *renuntiantibus* dicitur. Quoniam ergo & uxores maritis *renuntiare* non metuebant, propterea facilè fieri potuit, ut una fœmina brevi tempore, pro ingenii sui mutabilitate, multos adsciscceret maritos. Non hîc prætereundum illud, quod *Valla* in Italia contigisse prodit. Ibi aliquando vir quidam & fœmina ex infima plebe connubium inierunt; vir, qui jam 20. uxores sepeliverat, & mulier, quæ jam maritum vigesimum secundum duxerat. Summa ergo omnium fuit exspectatio, quis quem educeret & sepeliret. Vicit autem maritus, & totius urbis populi confluente multitudine tanquam victor ancipitis certaminis & fortissimi hostis, coronâ redimitus est. Hebrææ itidem uxores maritos eò adigere poterant, ut sibi *libellum repudii* scriberent atque traderent, ob sequentes rationes. 1. Si maritus nollet in terram sanctam secum migrare. 2. Si scabiosus. 3. Si ore fœtido. 4. Si tam sordidus esset, ut etiam collecta canis excrementa venderet. 5. Si nollet, ut intra duos mensès patris sui ædes ingrederetur. 6. Neque ut invitata ad convivium compareret. 7. Neque mœstos visitaret. 8. Neque quidpiam mutuò daret vel acciperet. 9. Vel si nollet eam sustentare. 10. Vel si maritus esset faber cuprearius, vel coriarius. Ita illi hypocritæ volebant videri, ac si non putarent, odorem auri bonum esse ex re qualibet.

Landesbibliothek Oldenburg

ipsæ etiam fœminæ maritos suos *repudiarent*, & aliis pro lubitu nuberent. De hac re loquuntur Gentiles Scriptores.

— Sic fiunt octo mariti
Quinque per autumnos —

Juvenal. Sat. VI. vers. 230.

Et nubet decimo jam Thelesina viro.

Martial. l. 6. *Non consulum, sed maritorum numero annos suos computant &c. Senec.* 3. *de benef.* 16. Literæ ab uxore traditæ vocabantur γράμματα ἀπολείψεως *literæ derelictionis*, non *abscissionis*, aut *dimissionis*. *Plutarch. in Alcibiad.* Eadem praxis & apud Hebræos valebat. Hinc est illud *Marc.* X. 12. *Si mulier virum suum reliquerit* ἀπολύσῃ, *& nupserit alii, &c.*

XXV. Licèt autem eo tempore secunda cum aliis *connubia* post hæc *divortia*, humanis legibus non prohiberentur, attamen Dei Lex tàm *repudium* istud, seu *divortium*, quàm *connubium* istud damnat; & personæ, ingredientes secundum thalamum post istiusmodi *divortia*, habentur Deo *Digami*. Ob hanc rationem jubetur præprimis Minister esse μιᾶς γυναικὸς ἀνήρ *unius mulieris vir*, 1. *Tim.* III. 2. & mulier ἑνὸς ἀνδρὸς γυνή *unius viri mulier*, 1. *Tim.* V. *vers.* 9. In quibus locis *nuptiæ secundæ* (ubi vir aut mulier è vivis abiit) non plùs prohibentur, quàm Poëta illis interdicit, simili loquendi modo:

Unico gaudens mulier marito,

Hor. carm. 3. 14.

XXVI.

XXVI. Tandem nota, quòd sponsa suo sponso quoque attulerit dotem (13) jam minorem, jam majorem; quam vocabant *Rabbini* נדוניא. *Elias Thisb.* item *Salom. Jarchi. Gen.* XXXI. 15. *Ita Raguel dedit ipsi Saram, uxorem ipsius, cum dimidio facultatum, mancipiis, jumentis, & pecunia. Tob.* X. 11.

CAP. V.

De Sepultura.

I. MUltæ ceremoniæ observabantur ante denati hominis *humationem.* 1. *Proximus sanguine clausit oculos mortui. Joseph. imponet manum suam oculis tuis. Gen.* XLVI. 4. Hic ritus & ipsis (1) *Romanis* atque *Græcis* peregrinus non fuit. *Ovid.*

(13) *Dos*, quam uxor marito afferebat inter Judæos, satis tenuis plerumque erat, hinc etiam sola vestimenta & ornamenta, quæ sponsa secum fert, נדוניא vocantur. Unde videtur factum *Raguelis* esse præter morem gentis. *Lacedæmones* suas filias nullâ *dote* elocabant, vi legis, quam tulit *Lycurgus*, ne forsan ob inopiam quædam innuptæ relinquerentur, & aliæ expeterentur, non virtutis, sed opum delectu habito. *Justin. lib.* 3. *cap.* 3. Cæterum *Latinum* vocabulum *Dos* venit à *Græco* Δῶς, item δόσις. Formula autem, quâ dotem dicebant, erat istiusmodi apud Romanos: *Tot doti tibi erunt.*

(1) *Romanis* hic ritus usitatissimus fuit; hinc *Plinius lib.* 9. *cap.* 37. *Morientibus oculos operire, rursusque in rogo patefacere Quiritium magno ritu sacrum est; ita more condito,* *ut*

Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Οὐ μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ὅστε καθαιρήσουσι θανόντι.

Non equidem tibi vel pater aut pia mater, sed quicunque prement oculos morienti. Homer. Iliad. 2.

II. 2. *Lavabant* (2) *cadaver. Tabitham* mortuam *postquam lavissent, posuerunt* ἐν ὑπερῴῳ *in cœnaculo. Act.* IX. 37. *Baptizatio* seu *lotio* circa id tempus triplex fuit. 1. Βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρῶν, *Ablutio pollutionis accersitæ ex contactu mortui.* Syr. XXXIV. 29. Ita homo

ut neque ab homine supremùm eos spectari fas sit, & cœlo non ostendi nefas. Lucan. l. 5. vers. circiter 276.

Atque oculos morti clausuram quærere dextram.

Ritum hunc explicat *Turneb. l. 19. c. 16.* Vid. plura *Rous Angli Archæolog. Attic. l. 5. c. 19. Goodwin. Anthol. Rom. Hist. l. 2. sect. 2. c. 21.*

(2) Propinqui plerumque, uti *premebant oculos*, ita & *lavabant corpus*, imò ipsimet sæpè *ungebant*, ne peculiares adhiberent *pollinctores*, (ita dictos. quòd mortui *os oblinerent polline*, ne livor appareret.) Unde *Virg. Æneïd. 9. vers.* 486.

——— ——— *Nec te tua funera, mater,*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi.

Et *Æneïd. l. 4. vers.* 684. Germana Didonis de sororis funere ait:

——— ——— *Date vulnera lymphis,*
Abluam, &, extremus si quis super halitus errat,
Ore legam.

Ubi notandum, quòd more Veterum parens, aut cognatus proximus fugientem morientis animam ore suo exciperet, & quasi deoscularetur. *Goodwin. Anthol. Rom. Hist. l. 2. sect. 2. c. 21.*

Landesbibliothek Oldenburg

homo nescius improvisoque casu pollutus, *lotione* aliquâ mundatus est. 2. Βαπτισμὸς τῶν νεκρῶν *ipsius cadaveris ablutio.* Sic lota est *Tabitha.* Vox autem Βαπτισμὸς non insolenter applicatur *vulgari lotioni*; uti *Marc.* VII. 4. legimus de *lotionibus poculorum, sextariorum, æramentorum, lectorumque.* In Textu est vox Βαπτισμός. Prior istarum *lotionum* erat Judæorum propria; posterior & Judæis fuit familiaris & Christianis. *Tertul. Apol.* c. 47. item *Euseb. hist. lib.* 7. c. 17. & etiam Gentilibus:

Corpusque lavant frigentis & ungunt.

Virg. Æneid. 6. *vers.* 219. Denique 3. Βαπτισμὸς ὑπὲρ νεκρῶν *Lotio pro mortuis.* 1. *Cor.* XV. 29. Usitata solùm Christianis haud benè institutis.

III. Quæritur hîc, qualis (3) *baptismus* fuerit? Hunc locum, attamen cum subjectione proprii

(3) Non apparet, quòd Apostolus hoc loco *Corinthios* de resurrectionis veritate convincere velit ex ipsorum erroneo *baptismi* usu; quia non putem *Corinthios* adeo insaniisse, ut, etsi nullam crederent ἀνάστασιν νεκρῶν, attamen anxii fuerint de salute sine *baptismo mortuorum*, vivosque pro mortuis tinxerint. Aliunde ergo resurrectionis argumentum depromit, nempe ex ritu *baptismi* illorum, qui tetigerant mortuos. *Num.* XIX. 11. Nam 1. verba Apostoli ὑπὲρ νεκρῶν non adversantur, quia τὸ ὑπέρ, quod vertendum erit *propter*, convenit cum Hebr. מִן & עַל, *Rom.* XV. 8. 9. *Phil.* II. 13. Et 2. firmum ex illo ritu resurrectionis argumentum desumi potest; siquidem is, qui propter *attactum mortui* impurus declaratus est, non poterat sacros cibos gustare, aut ad res & loca sacra admitti, sed debebat velut mortuus communione Dei vivorumque hominum excludi. Mundatus autem impuritate Legali, receptus

judicii, intelligo cum *Ambrosio in h. l. de lotione sacramentali*, adhibita quibusdam hominibus *vivis*, nomine & causâ amici, sine recepto *baptismo* denati, ex superstitiosa opinione, ac si *baptismus* vivo perhibitus, nomine mortui, juvare posset eum, qui sine *baptismo* lucem reliquit; ita ut Apostolus, hos superstitiosos *Corinthios* proprio gladio confecturus, resurrectionem mortuorum confirmet ex ipsorum errore, arguens, quòd anilis ipsorum ritus tingendi aquâ vivos, loco mortuorum, frustraneus vanusque sit, nisi exspectetur mortuorum ἀνάστασις. Hinc Apostolus cum emphasi distinguit personas *vers. seq.* dicens; *quid & nos periclitamur omni horâ?* Evincit itaque resurrectionem vi duplicis argumenti: *prius* ducitur à superstitioso ipsorum ritu & *baptismo pro mortuis*; *posterius* de omnium horarum periculo, quod nos, h. e. ipse Apostolus & alii Christiani, subimus. Ita, sicuti Pater iste notat, Apostolus

receptus est in sanctuarium & vivorum consortium. Quæ ceremoniæ nihil aliud possunt significâsse, quàm reditum à morte ad vitam & παλιγγενεσίαν. Si illa *lotio* in V. T. non hoc, certè nihil significavit, & histrionica gesticulatio fuit. Vid. *Cocc. Comm. in h. l.* & *Hebr.* 9. §. 64. item *Summ. Theol. cap.* 96. §. 13. Taceo, quòd Apostolus hunc ὑπὲρ νεκρῶν Baptismum nullo modo vituperet, quod autem absque dubio fecisset, ubi *loco mortuorum* is fuisset peractus. Quid etiam, quòd integris pòst seculis vicarium istud baptisma demum ortum sit? ut Paulus nullatenus potuerit idem istud respicere, & *Marcionitæ* forsan aliique *orthodoxi* (vid. *Augustin. Epist.* 107. &c.) sui erroris ansam ex loco isto Pauli, arripuerint, absolutam externæ lotionis necessitatem stultè statuentes.

Landesbibliothek Oldenburg

lus non suffragatur ipsorum errori, sed convincit ipsos de resurrectione, ex propria, licèt vitiosâ, praxi. Quòd autem *vicarium tale Baptisma*, uti id *Tertullianus* vocat *de resurr. carnis*, in usu fuerit apud *Marcionitas*, imò & apud *Cerinthianos*, res liquet. *Epiph. ad Cerinth. Hær.* 28.

IV. Modus ejus sic describitur. *Quando aliquis Catechumenus moritur, tum vivus quidam subter denati lecto recumbit, accedentibus aliis, qui mortuum rogant, num baptizari velit? qui quum non respondere possit, pro ipso responsum dat subter lecto jacens, aitque, se velle baptizari; & sic baptizant ipsum vice mortui, scenam quasi in theatro agentes. Chrysost.* 1. *Cor.* XV.

V. Tertius ritus Judæis circa mortuos usitatus, erat *Pollinctura* corporis, quàm, uti probabile est, hauserunt (4) ab *Ægyptiis*. Reperimus enim,

(4) *Tacitus Hist. l.* 5. memorat Judæos ab Ægyptiis didicisse condere cadavera; ubi res ipsa loquitur, legi debere, *condire*. Hîc autem tenendum, quod, etsi corpora *condire* didicerint ab Ægyptiis Hebræi, non tamen sicut illi *condirent* intrinsecus corpore exenterato, & cerebro per nares extracto, prout describunt Nobilium *condituram Herod. l.* 2. & *Diodor. l.* 1. *part.* 2. ut exemptis illis humoribus corpus à putredine tutius esset; sed absque ulla sectione, combustis super illud aromatibus, corpus unguentis externè unxerunt, linteisque tæniatim scissis involverunt, partim ut graveolentiam arcerent, partim ut putrefactionem. Sic nec Græcis nec Romanis *exenteratio* in usu fuit; quomodo aliàs elati quidam revixissent? *Plin. l.* 7. *c.* 52. *Vid. Spondan. l.* 1. *part.* 2. *c.* 1. §. 6. Præterea hîc addendum, quòd facilè credi possit, neque omnibus Judæis aromata & unguenta externè applicata; quomodo enim *Lazarus* tam citò fœtuisset?

enim, quòd Josephus primus sit, qui hunc obiverit ritum. *Gen.* L. 2. Ægyptius *pollincturæ* modus ita habuit: *Auferunt viscera ex cadavere, purgant ac lavant vino dactylidum, & rursùs aromatibus. Postmodùm replent purificata intestina contusâ myrrhâ & casiâ aliisque aromatibus*, (præter thus) *& iterum consuunt. Deinde condiunt corpus*, 70. *dies nitro condentes, non diutiùs: post* 70. *dies lavant corpus, & byssò gummi illitæ involvunt, quod gummi Ægyptii usurpant pro glutine; Græci vocant* παρίχευσιν. *Condituram quæ fit sale. Herod. Euterpe.*

VI. Usus illius erat, ut conservarentur corpora à putredine. Quando autem non tardabant sepulturam, alia adhibebatur *pollinctura*, nempe externus aromatum & suffimentorum illitus, retinente intestina ventre. Hoc vocant Græci ἐνταφιάζειν. Usurpatur tamen τὸ ἐνταφιάζειν in Scripturis latâ significatione, ad denotandam utramque *condituram*. Imò ἔθαψαν *sepeliverunt* occurrit *Gen.* L. 26. pro eo, quod in Hebr. exstat, וירחנטו *& aromatibus* (†) *condiverunt*. Verbum

ἐνται-

(†) Non indignum videtur, pollincturam, condituram & sepulturam Ægyptiorum, ex itinerariis Principis *Radzevilii*, *Fuhreri*, & ex *Camerario* & *Kirchero*, pluribus recensere. Subter *Pyramidibus*, ad ignis speciem surgentibus turribus, quæque paulatim in conum gracilescunt, multæ specus & cellæ condendis cadaveribus etiamnum, haud procul ab urbe *Alcair* in Ægypto, visuntur. In iis *Mumiæ* recubant, h. e. cadavera humana, aromatibus condita, & per multa annorum secula à corruptione præservata. *Mumia* autem est vox Arabica, significans

ἐνταφιάζειν adhibetur Salvatori nostro *Joh.* XIX. 40. Subinde *cremabant cadaver*, ossa urnâ condentes. (5) *Amos.* VI. 10. Ut plurimùm autem totum *sepeliebant* corpus.

VII.

ficans ceram aut resinam, præsertim ex *Cedris* destillantem. Hæc cadavera sunt evacuata intestinis, excepto jecore & corde, involutaque byssо, circumeuntibus tenuissimis è byssо ligamentis, quemadmodum infantulos nostros involvimus, manibus caput versus decussatis. Venter repletus est multifariis imagunculis, ex metallo, ligno aut lapide confectis, leones, serpentes, aves, homines, dæmonesque referentibus. Circumstant circa cadaver alia idola, digitum longa, Hieroglyphicis literis insignita, byssoque obvoluta, sicut ipsum cadaver. Subterraneæ istæ fornicatæque specus totæ olent *myrrham* & *aloën*. Conf. *Job.* XIX. 39. 40. Pollingebant enim mortuos *sale*, *nitro*, *cedrio*, *melle*, *bitumine* ex lacu Asphaltite, *cerâ*, *myrrhâ*, *aloë*, *gypso* & præstantissimo *opobalsamo*; quod è planta, vitis simili, destillat, ubi ea lapide acuto læditur. Vide *Justinum*, *Plin.* & *Josephum Ant. l.* 14. *c.* 7. Quæ arbuscula tempore *Pompeii* & *Herodis* etiamnum circa *Hierichuntem* crescebat, sed postmodum in Ægyptum translata, utrobique paulatim desiit; at nunc inter Arabes sylvestrior, multâ tamen curâ custoditur, oleique odoratissimi paululum Turcarum Imperatori ab iisdem in tributum quotannis transmittitur.

(5) *Amos.* VI. 10. מְסַרְפוֹ non explicandum, *cremans eum*, sed *cremator ejus*; nam non erat mos Israëlitis *cremandi* corpora, sed *sepeliendi*. Verum est *Jer.* XXXIV. 5. 2. *Chron.* XVI. 14. & XXI. 19. fieri mentionem *ustionis*, sed qualis *ustio* fuerit, ex *præc. not.* patet; scil. thymiamata accendebant fragrantiæ causâ inter *sepeliendum*, & cadavera iis quasi fumigabant, ut in *combustione* aromatum ipsa corpora *comburi* viderentur. *Spond. l. c.*

Landesbibliothek Oldenburg

VII. Antiqui Judæi, si non acceperant à majoribus sepulcretum, tum sibi (6) ipsis comparabant, quo olim cum familia reconderentur. Facies ejus loci hæc fuit: caverna fornicata erat ex rupe, *sex cubitorum longa* אמה על שש *Talmud. Seder. Nez.* in *Bavabathra. c.* 6. & quatuor lata; in qua octo aliæ minores cellulæ seu cavernulæ (aut juxta alios tredecim) distinctæ erant recipiendis cadaveribus. Quoties quempiam *humabant*, solebant ostio sepulcri ingens saxum apponere. *Cavernam* seu *fornicem* ipsum denominabant de *humationis* actu קבר *sepulcrum*, aut de ipsius forma מערה *speluncam*. Cellulas istas, quibus reponebatur cadaver, vocabant כוכים *tumulos*, & saxum גלל *lapidem volutationis*. Hæc multum lucis afferunt Evangelistæ: *Joseph, cùm accepisset corpus Christi, involvit illud sindone purâ, posuitque illud* ἐν τῷ ἰδίῳ μνημείῳ καινῷ *in monumento suo novo,*

(6) Judæi sepulturæ studiosissimi fuerunt, ut tanquam asinus ille humari diceretur, qui non patrum sepulcris inferebatur. *Cocc. Gem. Sanh. c.* 6. §. 6. Quâ sepulturæ curâ testabantur, se aliquid gloriosius, quàm de bestiarum cadaveribus sperare. Quod idem Gentilis *Cicero* vidit *Tuscul.* 1. ubi ait: *maximum argumentum est, naturam ipsam de immortalitate animorum tacitam judicare, quòd omnibus curæ sunt & maximè quidem, quæ post mortem futura sunt.* Quo autem clarior est resurrectionis doctrina, eò minùs debemus esse solliciti de corporis nostri humatione. Et quò magis animam curamus, eò minus corpus aut cadaver nostrum in dealbata marmoreaque domo vel cella collocare studemus,

Landesbibliothek Oldenburg

novo, quod celaverat ex petra, & advolvit saxum ingens ostio sepulcri. Matth. XXVII. 59. 60.

VIII. Hæc sepulcra seu fornices quum ditiores pingerent, ornarent, & polirent circa os seu introïtum eorum, hinc fluxit ille mos loquendi: *Sepulcra dealbata.* Et quoties occasio erat recolendi memoriam amici mortui, aut de eo loquendi, usi sunt hâc locutione: זכר צדיק לברכה *memoria justi sit in benedictione. Prov.* X. 7. Propterea Rabbini, quoties citant venerandum aliquem Autorem, consueverunt semper addere honestam hanc commemorationem: *N. Benedictæ memoriæ* ז״ל. Ordinaria ipsorum *epitaphia* hæc erant: נשמתו תהיה צרורה בגן עדן אמן סלה *Anima ejus sit colligata in hortum Eden, seu in fasciculum vivorum. Amen Amen Amen Selah. Schindl. in voce* צרר.

IX. Recentiores Judæi somnia (7) fovent de *loco sepulturæ*, persuadentes sibi, quòd, ubi Israëlita animam efflat in terra peregrina, extra terram promissionis, is exsors futurus sit resurrectionis, nisi Deus ipsi *viam subterraneam* expedire dignetur, per quam ipsius corpus continuâ volutatione & rotatione in terram Canaan feratur.

X. Fundamentum hujus opinionis desumitur ex mandato Jacobi ad filium suum Josephum, ne ipsum conderet terrâ Ægyptiacâ, sed Cananæâ; cujus

(7) Hæc fusiùs diducit *Buxtorf. Synag. Jud. c.* 1.

Landesbibliothek Oldenburg

cujus mandati tres afferunt rationes. 1. Quia Josephus per Spiritum Propheticum præno verit, quòd pulvis illius terræ postmodùm commutandus sit in pediculos. 2. Quia illi, qui decederent extra terram sanctam, non resurrecturi sint, nisi priùs ipsorum corpora volutatione difficili & acerbâ per subterraneam istam viam eò deferantur. 3. Ne Ægyptii ipsum idololatricè adorarent. *Salom. Jarchi. Gen.* XLVII. 20.

XI. Celebrârunt (8) itidem *convivium funebre*, quod dicitur *panis hominum*, *Ezech.* XXIV. 17. & *calix consolationis*. *Jer.* XVI. 7. Quoniam adhibebatur ad *solandum* eos, quorum cor mœstum esset. Simile erat Romanorum *Silicernio*. Ex duobus his posterioribus locis observare possumus, quòd in sepeliendis amicis sequentes usurparent ceremonias; quasdam ad *testandum*, & quasdam ad *ampliandum* suum mœrorem.

XII. 1. *Seipsos secabant*, (9) h. e. vulnerabant, aut

(8) Morem istum reficiendi lugentes *epulo*, ambitio ad luxuriem deflexit postremò, adeo ut multi ad paupertatem inter Judæos redigerentur, quia is impius habebatur, qui *epulum* illud *funerale* omisisset. Vide *Cocc. Sanh. c.* 2. §. 3. *not.* 12. *Joseph. Ant. l.* 1. *c.* 2. Primævæ Ecclesiæ Christiani cibos ad monumenta detulêre, ibidemque lugentes refecêre, sine dubio morem istum à Judæis docti, aut à suis patribus, nam & Græci περιδειπνα, Romani *parentalia* celebrârunt, & *Silicernia*, ita dicta, quòd edentes silere cernerentur.

(9) Hîc notandum, quod mos ob defunctum se *secandi*, aut *calvitiem faciendi*, aut *barbæ angulos corrumpendi*, aut

aut instrumento membrum aliquod corporis amputabant. Hanc feritatem didicerant à Gentibus, quæ non tantùm ora laniabant, sed & quasdam corporis partes acu sauciabant, vel alias incidebant, atramentoque imbuebant, in cultum dæmonum. Præcipitur ergo, ne ullo pacto, sicut Gentes, ferirent carnes suas, *Deut.* XIV. 1. quemadmodum Sacerdotes Cybeles & Deæ Syrorum, ut refert *Lucianus. P. Fagius Deut.* XIV. 1.

Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis. Virg. l. 4. *Æneïd. vers.* 673.

XIII. Et 2. *sibi ipsis calvitiem faciebant* variis modis, aut *tondendo*, aut *evellendo* manibus, aut *exstirpando* medicamentis capillos. Aliæ nationes solebant radere caput, & capillitium offerre mortui causâ. *Ovid. Met.* 3. *vers. à fin.* 227.

aut *stigma incidendi*, illùdque *colorandi*, non receptus fuerit Judæis omnibus, sed quòd impii interdum eum admiserint, propterea etiam is, qui tale fecerat, lege ipsorum quadragenis plagis obnoxius erat. Vid. *Coccejum Macc. c.* 3. §. 5. 6. Alii populi, non contenti corpus afflixisse ob mortuos, se-ipsos sæpè neci dedêre, aut servos, cognatos, &c. Vid. de *Soloduriis* apud *Gallos Jul. Cæs. de Americanis Acostam.* Nec facilè quis dixerit, quot *Indorum* millia, cùm Rex *Borriquenæ* Hispanorum crudelissimis manibus perîisset, sponte sibi necem intulerint. *Horn. orig. Am. l.* 3. *c.* 16. *Gentiles fœminæ sæpe cum maritis se combusserunt, milites animarum prodigi ante busta dimicârunt, unde bustuarii dicti. Superstites sæpè servos placandis defuncti manibus mactârunt. Suet. August. c.* 15. *Matronæ ornamenta flammis injecêre. Suet. Jul. fin.* Et plura alia & immania & damnosa in *parentatione* mortuorum fecerunt Gentiles. Vid. *Pl. Jun. l.* 4. *ep.* 2.

——— *Planxêre sorores*
Najades, & sectos fratri imposuêre capillos.

Subinde solas *tondebant* genas, interdum supercilium; qui Gentiles ritus & consuetudines proscribuntur, *Deut.* XIV. 1.

XIV. 3. *Ibant nudo capite*, ut possent id pulvere & cinere conspergere, testantes *se indignos esse, quos terra portet.*

XV. 4. *Ibant nudo pede*, ad majoris humilitatis speciem.

XVI. 5. *Obvelabant* (10) *labia*; quod erat singularis mœstitiæ pudorisque nota: *Et pudefient videntes, & compungentur fatidici, & operient mentum omnes, quia non est responsio Dei. Mich.* III. 7. Quæritur, quomodo obvelârint *labia*? Resp. putantur fecisse *extremitatibus palliorum aut vestium injectis. D. Kimchi & Aben-Esra. P. Fag. Lev.* XIV. 45.

XVII. 6. *Dissuebant vestes suas.*

——— *Scissâque Polyxena pallâ.*

Juven. Sat. 10. *vers.* 262.

XVIII.

(10) Plurima alia luctûs signa fuerunt Judæis. Vestis defuncto necessario concerpitur, fit planctus, lugens alienis vescitur cibis, phylacteria deponit, abstinet carne & vino, quum infertur funus in sepulcrum, antecedit discalceatus, exerto humero, exin 30. diebus novaculâ, nuptiis abstinet, primis septem diebus non tondetur, sed alit comam *Syr.* XXII. 12. vestes non eluit, neque totas induit, neque candidas & nitidas, præter faciem & manus non lavat, nisi ad detergendam spurcitiem, neque ungitur, non utitur Venere, discalceatus operto capite ambulat, neminem salutat &c. *Coccejus Sanh. c.* 6. *not.* 16.

Landesbibliothek Oldenburg

XVIII. Tandem 7. *Lumbos cingebant cilicio. Gen.* XXXVII. 34. Hæ fuerunt generales luctûs notæ & signa, usurpata in omnibus majoribus lugendi occasionibus.

XIX. Præterea autem duo insuper signa, sepulturæ propria, ad ampliandum luctum adhibebantur. 1. *Musici*, qui sono querulo & flebili affectus populi ad ploratum movebant. Hi duûm generum erant; alii modulabantur *tibiis*, alii insonabant *tubis*; (11) *Majoris ætatis* fortunæque *funera ad tubam proferre solebant, minoris verò ætatis* & conditionis *ad tibias. Servius Æneïd.*

(11) In Senatorum Heroumque funeribus *tubis*, in plebejorum *tibiis* usi dicuntur Antiqui. *Homerus* in funere *Hectoris*.

Tunc pyra construitur, quo bis sex corpora Grajûm,
Quadrupedesque adduntur equi, currusque, tubæque.

Et *Virg.* in funere *Pallantis*, *Æneïd.* 11. *vers.* 192.

It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.

Item *Persius Sat.* 3. sub fin.

Hinc tuba, candelæ, tandemque beatulus alto
Compositus lecto &c.

Ovid. Trist. l. 5. *eleg.* 1.

Tibia funeribus convenit ista meis.

Idem alibi: *Tibia funeribus cantabat, tibia ludis.*

Plinius quoque *l.* 10. *c.* 43. Hunc ritum Judæis fuisse, patet ex *Josepho de B. J. l.* 3. *c.* 30. quem citat *Cocc. Sanh. c.* 6. §. 6. *not.* 16. Sed *tubas* solas Principum funeribus adhibitas, non *tibias*, dubito. Vid. *Sueton. Jul. Cæs.* sub fin. Nec credibile est, illam distinctionem ullatenùs inter Judæos fuisse observatam; nam *Josephus* ait, *l. c.* Hierosolymitanos sibi conduxisse αὐλητάς, quales funeri puellæ adfuisse S. pagina refert.

Landesbibliothek Oldenburg

Cùm signum luctûs cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœstâ.

Statius Theb. l. 6. vers. 121. Hoc respectu dicitur; quòd Jesus, suscitans filiolam Jaïri, expulerit τὰς αὐλητὰς *tibicines Matth.* IX. 23. Et 2. *Fœminæ* eodem fine *conductæ*, ad modulandum lugubre carmen, & exterioribus luctûs signis & lamentis catervam commovendum fortiùs. *Vocate lamentatrices, ut veniant, & ad sapientes fœminas mittite, ut veniant Jer.* IX. 16. Has vocabant Romani (12) *Præficas*, quasi in hoc ipsum præfectas.

CAP.

(12) Duæ species *lamentatricum* Romanis fuêre; quædam dictæ *Funereæ*, alteræ *Præficæ*. *Funereæ* erant vel matres, vel sorores, vel propinquæ, quæ reverâ dolebant; *Præficæ* erant conductæ fœminæ ad edendum lessum & planctum, etsi dolor ipsarum præcordia nullo modo tangeret, sed potiùs gaudium ex lucro pro fictis lacrymis. *Carmen* autem *lugubre*, quod profundebant meditatum ad memoriam virtutis & laudes mortui & doloris incitamenta, uti loquitur *Tacitus Annal. 3. de Germanici funere*, vocabatur *nenia*, vel à νάω *exstruo*, *coacervo rogum*; vel ab Hebr. נהה *lamentatus est*, vel à sono, quem flendo damus. Illa *carmina lugubria* dicebantur quoq; *Nugæ*, sed præcipuè quæ canebantur in funeribus infantium. *Plaut. Asin. Act.* IV. forsan à נגה *mœrore affecit*. De Judæorum *Præficis*, vide quidpiam ap. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c. 6. §. 6. not.* 3. Scil. in ista gente omnia erant composita ad testandum tùm gaudium tùm luctum circa res terrenas. Hinc & lachrymæ

CAP. VI.

De Jurejurando.

I. MOdus *jurandi* sæpè fiebat elevatione manuum versùs cœlum. Dixit Abraham ad Regem Sodomæ; *extuli manum meam ad Jehovam*, h. e. *juravi*, me non capturum esse vel filum, vel corrigiam calcei tui. *Gen.* XIV. 22. 23. Quò respicit Psalmista: *extulit manum suam. Ps.* CVI. 26.

II. Interdum *jurans ponebat manum suam subter femore alterius*, cui *jurabat*. Ita legimus *Abrahamum* administrâsse hunc *jurandi* modum. *Gen.* XXIV. 2. & *Jacobum Gen.* XLVII. 29. Quam ceremoniam quidam exponunt esse *subjectionis signum. Aben-Esra. Gen.* XXIV. 2. Alii dictitant fuisse *mysterium Circumcisionis*, cujus notam ferebant circiter eum corporis locum. *Salom. Jarchi. ibid.* Aliis videtur

mæ venales erant. Itineraria quoque nobis produnt, quem mirum in modum instructæ sint *fluviatiles Respublicæ*, seu *natatiles Civitates*, quas videas in fluviis Chinæ, oppidatim navigantes. Istæ omnia tibi præstant, quæ desideras; omnis generis merces, fructus, poma, pisces, aves, canes, cervos, oves, porcos, idola, crania, comœdos, musicos, bibliopolas, procuratores, notarios, vindictæ tuæ, aut litium tuarum, jurisque alieni, quin & rerum amissarum emptores, medicos, medicas, servos, servas, nutrices, fœminas clysterem applicantes, lenones, pronubos, vespillones, præficas, & quid non? Singula in singulis vel plateis vel navibus inveniuntur.

Landesbibliothek Oldenburg

probabilius, fuisse *mysticum signum Christi promissi seminis*, quod nasciturum esset ex lumbis Abrahæ aut femore, uti similis loquendi modus usurpatur. *Gen.* XLVI. 26. *Animæ egressæ ex femore Jacobi. August. quæst. super Gen.* LXII.

III. Interdum etiam *jurabant stando coram altari.* 1. *Reg.* VIII. 31. Qui etiam mos *Atheniensium* fuit. *Alex. ab Alex. l.* 5. *c.* 10. item *Carthaginensium. Livius Dec.* 3. *l.* 1. *Valer. M. l.* 9. *c.* 3. *ac Romanorum.*

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet & fidei: jures licèt, & Samothracum,
Et nostrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur atque Deos.

Juvenal. Sat. 3. 143.

IV. *Objectum legitimi juramenti* fuit atque est Solus *Jehova*, unde *jurans* dicitur *confiteri Deum.* Conf. *Es.* XLV. 23. cum *Rom.* XIV. 11. Antiquus autem mos imponendi *juramentum* hic fuit. *Tribue gloriam Deo. Jos.* VII. 19. *Joh.* IX. 24. Deus itaque glorificatur *juramento*, quia eo fit solennis confessio Divinæ *omnipræsentiæ*, quòd ubicunque præsens sit; item *omniscientiæ*, quòd sint πάντα τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς αὐτοῦ, abditaque quæque pernoscat; *veritatis*, quòd sit *cultor veritatis & ultor falsitatis*; *justitiæ*, quòd sit ἐκδικος, promptus; *omnipotentiæ*, quòd satis virium ipsi sint ad puniendum eos, qui Deo *perjurio* illudunt. Et quemadmodum *objectum legitimi juramenti* erat solus Deus, ita docet, quòd non citò & incautè suscipiendum sit, sed tantùm, si sit necessitatis vi impositum;

positum; nam & vox Hebr. נִשְׁבַּע (1) passiva est, potiùs significans τὸ *jurari* quàm *jurare*.

V. Corruptis temporibus solebant *jurare* per *creaturas*. *Allium*, *porrum*, *cepasque inter* (2) *Deos jurejurando habuit Ægyptus*. *Plin. lib.* 19. *c.* 6. *Juven. sat.* 15. *vers.* 9. 10. Judæi (3) autem præprimis

(1) Vox ea Hebraïca deducitur à שֶׁבַע *septem*, quia Veteres sibi *jurantes* adhibebant *symbola*, non *singula*, sed *septemplicia*, tanquam perfecto numero. *Herodot. in Thalia cap.* 8. Arabum fœdera describens, memorat, eos *jurantes* septem lapides sanguine tinxisse. *Cocc. Lex.* Conf. *Gen.* XXI. 30. 32.

(2) Gentes olim ut in cæteris rebus, ita & in *jurejurando* vanæ erant; unde tot imo plures *jurandi* formulæ inveniuntur apud Autores, quot populi. Lepidum est illud *juramentum* Reginæ *Onor*, *jurantis* per *aureas summi Dei crepidas*. *Ferdinand. Pinto Itin. c.* 4. Meliùs Athenienses: Ἴστορες θεοὶ τούτων *Testes harum rerum Dii sint*. Frequens autem apud omnes fermè nationes *juramentum* fuit, *jurare per caput suum Matth.* V. 36. & *per salutem filiorum*. *Plin. l.* 2. *epist.* 20. quod & Judæis familiare fuit. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 4. §. 6. *not.* 1. Romani præprimis jurabant *Jovem*, quin non rarò *Jovem Lapidem*; formulâ à ritu fœderis feriendi, in quo Pater Patratus lapidem tenebat, quo porcum feriebat, desumptâ. Mira lectu de vario ac multiplici jurejurando apud diversas Gentes scripsit *Alex. ab Alexand. l.* 5. *c.* 10.

(3) Judæi tempore Christi adeo fuêre perversi, ut nihil in Lege nisi corticem adverterent. Hinc ne se subjicerent pœnæ in vanum usurpati Divini nominis, sedulò abstinuêre illius

jurabant per Hierosolymam, per templum, per templi aurum, per altare, & donum super altari.

VI. Hoc *donum* Hebr. vocatur קָרְבָּן *Corban*, eratque tempore Salvatoris nostri in iis *juramentis*, quæ Scribæ & Pharisæi censebant esse plurimùm obligantia. Ἐν οἷς μετά τινων ἄλλων καὶ τὸν καλούμενον ὅρκον Κορβᾶν καταριθμεῖ *inter quæ sacramenta cum quibusdam aliis etiam jusjurandum, quod Corban appellatur, enumerat. Joseph. contr. App. l. 1. p. 147.* Si quis *juraverat per altare*, nihil erat, quòd si autem *per donum super eo*, tenebatur. *Matth.* XXIII. 18.

VII. Et licèt Lex Dei præcipiat τὴν τιμήν h. e. & sustentationem & honorem parentibus impertiendum, nihilominùs, ubi se obstrinxerant *jurejurando*

illius appellatione: sed facilè colligentes, sibi fidem non haberi, ubi sermo ipsorum simplicibus istis voculis, ναὶ, ναί, καὶ, ὄ, ὅ, & nullo *jurejurando* fulciretur; effinxerunt certas *jurandi* formulas, quibus Dei nomen non expressum esset, adeoque ipsimet non tenerentur; quasi solum expressum Dei nomen obligaret. Hujus non ignari Gentiles omnem fidem Judæis, etiamsi centies *jurarent*, abrogabant, nisi adjicerent Divinum nomen. Unde *Martialis lib.* 11. *Epig.* 95. de Judæi alicujus παιδιεραστίᾳ.

Illud me cruciat, Solymis quòd natus in ipsis,
Pædicas puerum, Verpe Poëta, meum.
Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis,
Non credo: jura, Verpe, per Anchialum.

Hîc observandum, quòd Poëta iste *Anchialum* Deum crearit ex usitata *jurandi* formula, אִם חַי־יְהוָה *si vivit Jehova*; quam formulam Judæi venerabantur.

Landesbibliothek Oldenburg

jurando (4) *Corban*, scil. parentes à se non adjutum iri, putabant se lege solutos esse. De quo *Talmud. Hieros. tract. de votis* c. 10. dicit: *quivis tenetur suum patrem & matrem honorare, nisi contrarium voverit.* Et satis manifestum est, quòd Judæi sæpè *solennibus promissis* & *juramentis* seipsos devinxerint, se huic vel illi nihil commodi præstituros. Ὅρκῳ πιεῦνται τῷ δεῖνι μὴ παρέξειν ὠφέλειάν τινα. *Jurejurando se obstringunt, se huic vel illi non præstituros utilitatem aliquam. Phil. Jud. de specialib. legib. p. 595.*

VIII. Sciendum porrò est, quòd plerumque *juramentum* comitata sit *execratio*, aut *devotio* conditionalis, quæ sic interdum similiterque exprimitur: *nisi ita vel ita fecero, faciat mihi Deus ita, & ita addat.* 1. *Sam.* XIV. 44. 1. *Reg.* XX. 10. Interdum

(4) Varias sententias & expositiones loci *Matth.* XV. 5. seu vocis *Corban*, attulit *Momma tom.* 2. *c.* 5. §. 139. Aliam autem Autor noster hîc adducit sententiam, quam etiam fovet *Ben. Arias Montanus not. ad Nov. T.* scil. existimat ille, קָרְבָּן non esse *consecrationem bonorum*, sed *juramentũ*; certè hæc sententia appositissima est ingenio Judæorum, & rei veritati proxima; sed unum obstat, quominùs huic sententiæ subscribere possim. Dicitur à Judæis, הַקֹּדֶשׁ יְהִי כָּל-מַה שֶּׁאֲנִי עוֹשֶׂה מְלֻבּוֹא עַל פִּי אָבִי *sacrum erit, quidquid paravero in futurum, quantum ad os patris*, teste *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 7. §. 5. *not.* 9. quæ verba planè consonant verbis Christi *Marc.* VII. 11. Atqui hîc in voce הַקֹּדֶשׁ nullum est *juramentum*, sed *consecratio*, sic, ut τὸ Κορβᾶν nihil quoque aliud significet, quàm הַקֹּדֶשׁ יְהִי *res sancta sit, oblatio sit*, quidquid &c.

illa subintelligitur, ut *Gen.* XIV. 23. *Extuli manum meam ad Jehovam, si vel filum vel corrigiam calcei capiam*; tum *Dominus mihi ita faciat*, & *ita addat*. Hoc aut ejusmodi (5) quid tacitè subintelligitur, facitque, ut prius sonet negativè, acsi Abrahamus dixisset: *juravi, me non capturum quidquam*. Similis ratio illius locutionis *Psal.* XCV. 11. *Juravi in ira mea, si intrabunt in quietem meam. Hebr.* III. 18.

IX. Hæc juvant explicationem difficilis illius loci *Matth.* XV. 5. ubi legitur: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς *Oblatio sit, quidquid ex me utilitatis ceperis*. Quod si ergò hæc verba concipiamus juxta formam *jurisjurandi Corban*, sic scil. *Per Corban si quidquam tibi profuero*, hâc *execratione* subaudita, tum *faciat mihi Deus ita*, & *ita addat*, sensus talis emerget: *Per Corban nihil tibi prodero*. Interpretor ὃ ἐὰν *si quidquam*, quemadmodum ὃς ἐὰν *si quisquam. Matth.* X. 14. & *Matth.* XXIII. 18. Verùm si quis urgeat, quòd in fonte sit Κορβᾶν, non

(5) Alia præterea formula est *jurandi*, quando *jurans* obscurè & obliquè se-ipsum intelligit per *suos hostes*; ut David 1. *Sam.* XX. 15. XXV. 22. *Sic faciat Dominus hostibus Davidis, & sic addat, si reliquero* &c. ubi David per εὐφημισμόν *detestationem* de se loquitur, כאדם שתלו קללתו בחברו *tanquam homo transmovens execrationem in alterum*. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. c.* 4. §. 18. *not.* 1. Item *Cocc. in Job. cap.* XXVII. 7. *Virg. Georg.* 3.

Dî meliora piis, erroremque hostibus illum!

non *per Korban*, vel ἐν Κορβᾶν; sciendum, quòd similis ellipsis in *jurandi* formulis non sit inusitata; hinc המעון הזה valet במעון הזה *per domicilium hoc.* Vid. *Drus. de 3. sect. l. 2. c. 17.*

X. Hæc interpretatio (†) tàm benè convenit scopo loci istius, quàm modo *jurandi*, & clarè docet, quâ ratione Pharisæi suis statutis & traditionibus præcepta Dei eluserint. Deo enim mandante; *honora patrem ac matrem*, Scribæ & Pharisæi dicunt; si quis parentibus opem poscentibus responderit: *per Corban nihil tibi prodero, eum non teneri.*

CAP.

(†) *Notâ* [4] diximus hanc Interpretationem Autoris Judæorum ingenio & rei veritati appositam esse; sed quùm simplex verborum expositio idem præstet, quid opus eorundem contorsione? Luth. minus benè vertit, integra vocabula addens & extendens parenthesin absque causa: Ihr aber lehret / wann einer spricht zum Vatter oder Mutter / Corban / (das ist / wann ichs opfere / so ist dirs viel nützer) der thut wohl. Nos in nova N. T. versione id simpliciter sic reddidimus, & locum planum fecimus: **Ihr aber sprecht; wann ein Mensch zum Vatter oder zur Mutter würde sagen; das sey Corban / (das ist eine Opfer-Gabe) was du auch von mir benutzen möchtest; So dörfe er seinen Vatter oder seine Mutter gar nicht ehren / h. e. ernehren.** *Matth.* XV. 5. *Marc.* VII. 11.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. VII.

De modo scribendi, de Masorethis, ipsorumque opere.

I. SCriptura nulla in natione subitò perfectionem obtinuit, sed per gradus limatior facta est.

II. Opiniones Veterum de autoribus ac inventoribus *literarum* diversæ sunt. Quidam dicunt *Cadmum* primùm in Græciam intulisse *literarum* usum. *Plin. l. 7. c. 56. Diod. Sic. l. 6. c. 15.* Alii *Palamedem. Serv. l. 2. Æneid.* Alii produnt *Rhadamanthum* intulisse eas in Assyriam, *Memnonem* in Ægyptum, *Herculem* in Phrigiam, *Carmentam* in Italiam. *Alex. ab Alex. Genial. D. l. 2. c. 30.* Ita quoque quidam ferunt, *Phœnices* primos (1) fuisse, qui noverint usurpârintque *literas*.

Phœ-

(1) Communis fermè opinio Antiquorum & Recentium *Phœnicibus* adscribit inventarum *literarum* laudem. Sed *Alex. ab Alex. l. 2. Gen. dierum. c. 30.* ait: ipsos usos esse loco *literarum* γράμμασι ἱερογλυφικοῖς, animalium figuris, quibus mentem suam expresserint, quemadmodum *Ægyptii*, de quibus *Lucanus l. 3.* canit:

Nondum flumineas Memphis contexere biblos
Noverat, & saxis tantùm volucresque feræque,
Sculptaque servabant magicas animalia linguas.

Sed quoscunque Gentilitas *literarum* inventores deprædicat, omnes Mose longè posteriores sunt, adeo ut jure ipsi ab Autore *literarum* prima inventio vendicetur; quod etiam suffulcit *Ursinus* non debilibus tibicinibus *Anal. Sac. tom. 1. l. 6. c. 1.*

Landesbibliothek Oldenburg

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

Lucan. lib. 3. vers. circit. 220. Alii dicunt primos autores *Æthiopes. Diod. Sic. l.* 4. Alii *Assyrios. Plin. loc. cit.* Sed firmiore fundamento *statuitur Moses, quòd primus docuerit Judæos literarum usum*; & quòd *Phœnices* eas didicerint à *Judæis*, & à *Phœnicibus Græci. Euseb. præp. Evang. l.* 8.

III. Materia itidem, cui *inscribebatur*, rudibus ætatibus (2) diversa fuit. Quidam *inscribebant interio-*

(2) *Plinius lib.* 13. *c.* 11. prodit: *antequam Alexandria Ægypti esset condita, non fuisse chartarum usum, in palmarum foliis* (pro quo quidam, *malvarum*, legi debere contendunt) *primò scriptitatum*, deinde *quarundam arborum libris* (præprimis *libris* seu *corticibus* Aceris, Fraxini, Populi, Fagi, Tiliæ & Ulmi.) *Postea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris; Pugillarium quoque usum ante Trojana tempora fuisse. Mox æmulatione circa Bibliothecas, Regum Ptolomæi & Eumenis, supprimente chartas Ptolomæo, membranas Pergami fuisse repertas.* Quem in locum quatuor sunt à nobis observanda. 1. Chartæ seu papyri usum multis retrò seculis jam fuisse, ante conditam Alexandriam ab Alexandro. 2. De plumbo fieri mentionem *Job.* XIX. 24. 3. Antiquorum libros linteos non fuisse ita constitutos, uti sunt hæ paginæ, quæ recipiunt has nostras literas; sed fuisse linteas telas, qualibus pictores ad depingendas imagines utuntur. 4. Falsum esse, quòd diphteræ seu membranæ demùm inventæ sint ab *Eumene*; nam *Josephus Antiq. l.* 12. *c.* 2. autor est, *Eleazarum* principem Sacerdotum, Biblia in subtilissimis membranis conscripta, cum LXXII. Interpretibus ad *Ptolomæum Philadelphum* misisse; quod factum, antequam æmulationis studium inter Reges istos gliscceret.

Præte-

interioribus arborum *corticibus*, unde & dictus est *Liber*, qui proprie denotat ejusmodi *corticem*. Alii literas *osſiculo*, pennæ vice, exarabant in *Lateribus*. *Diog. Laërt. in vita Cleanthis*. Alii ſcribebant *in tabulis*; quæ poſtrema ſcriptura Judæis familiaris fuit. Decalogus inſcriptus erat *duabus tabulis lapideis*. Rursùs; *Jcribe illud in tabula*; *Eſa*. XXX. 8. LXX. ajunt; ἐπὶ πυξίς *in tabella buxea*, ac ſi tabulæ ſcriptoriæ eâ tempeſtate fuerint è buxo confectæ. Tum temporis non utebantur pennis, ſed inſtrumento quodam ferreo, quod dicebant *Stylum*; cujus altera extremitas cuſpide erat acutâ, ad faciliùs incidendum literas; altera autem erat latior, ut rursùm obliterarent, quod exarâſſent. Unde & natum eſt illud Proverbium:

Præterea tamen & alia materies fuit antiquis, & eſt etiamnum quibuſdam Gentibus, in qua ſuas literas ponunt. *Byſſinis* hodieve utuntur Turcæ, ſive *ſericis*, in quibus literas auro & vario colore, non ſine multa arte, pingunt. Illuſtris *Ludolfi*, cui monſtrabam Alcoranum nitidiſſimè deſcriptum, alium mihi oſtendebat, à chiliarcha Cæſareo ſibi donatum, qui plurimâ arte, & circiter ducentis, ut ego æſtimo, ducatis ſtetit. Libellus erat ad noſtrum penè morem compactus, ſed paginæ byſſinæ, glutine imbutæ. Olim & *æreis* aut cupreis *tabulis* ac *pugillaribus* utebantur Judæi, ac ſine dubio *lapideis*, & *marmoreis*. Judas Maccabæus & fratres ejus miſerunt ad Senatum Romanum epiſtolam ἐπὶ δέλτοις χαλκαῖς *in tabulis æneis* 1. *Macc*. VIII. 22. *Brachmanæ* hodierni in India literas & ſcripturas ſuas exarant in *foliis palmarum*, quas vocamus *Cocos-Bäume*. *Olearius* refert, iſtiuſmodi librum *Malabaricum* in technophylacio Gottorpienſi aſſervari. Indi occidentales in *tabulis ficulneis* ſcribunt ſtylo duriuſculo.

Landesbibliothek Oldenburg

verbium: *Invertere Stylum*; h. e. mutare quod dixeris aut scripseris. *Erasm. Adag. Mutatæ sententiæ. Scribe stylo hominis. Esa.* VIII. 1.

IV. Antequam etiam libros compingere scirent, quemadmodum hodie, inscribebant (3) *voluminibus* papyri aut membranarum, quæ interdum

(3) *Voluminibus* inscribebant Veteres, non dissectis foliis in quaterniones, uti nos, sed pingebant literas in altera tantùm paginarum facie, perpetuo ad extremitatem folii literarum ductu; illam extremitatem vocabant *umbilicum* & *cornua*, & præmuniebant bacillo ex cedro, ebeno, vel ebore, appensis quandoque ornatûs gratiâ gemmis aut auro. Unde *Ovid. Trist. l.* 1. *eleg.* 1. *vers.* 8.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur,
Candida nec nigra cornua fronte geras.

Ubi tria præprimis notanda. 1. Quòd inscriptio seu titulus solitus sit in libris & epistolis (quas inscripsêre utriusque nomine in exteriore facie, tam illius qui exaravit literas, quàm illius, cui mittebantur) minio colorari, unde frequentissima illa vox, *Rubrica*, pro titulo apud *J. Cons.* venit. 2. Uti diximus, extremo folio appendebant bacillum ex cedro, ut firmius esset, & faciliùs in spiram convolvi posset. 3. Sed insuper etiam *chartam* oleo cedrino subtiliter fricârunt, tum ne literas transmitteret, quippe nimia tenuitas *chartæ* sæpè non sufficiebat tolerandis calamis, *Plin. l.* 13. *c.* 12. tum ut odorifera & à carie immunis redderetur. Unde is, qui bene docteque scripsit, dicitur

——— *Cedro digna locutus.*

Pers. Sat. 1. h. e. æternitate digna. *Ovid. lib.* 3. *Trist.*

Quòd neque sum flavus cedro, nec pumice lævis,
Erubui Domino cultior esse meo.

Quoniam autem tenuioris sortis homines utrumque folii latus scripturâ tegebant, h. e. faciem & tergum seu partem adver-

terdum latitudine in decem ulnas, longitudine in viginti excurrebant. *Zach.* V. 2. Hujusmodi *volumen* vocabant מגלה *volumen*, Anglicè *à volume*, *à* גלל *convolvit*. *In volumine libri de me scriptum est Psal.* XL. 8. Et Christus librum claudens, dedit ministro. *Luc.* IV. 20. Originalis vox est πτύξας *complicans*, *convolvens* & *vers.* 17. ἀναπτύξας *explicans*, *evolvens*.

V. Hæc *volumina* non erant conscripta continuo vocabulorum fluxu, sed scriptura distincta in iis erat multis spatiis & columnis, quasi totidem areolis. Hæ *areæ* literis consitæ erant vice foliorum in libris; sic intelligenda sunt illa *Jer.* XXXVI. 23. *Cùm legisset Jehudi tres paginas vel quatuor, scidit id cultello Scribæ &c.* Hæ *paginæ* nihil aliud erant, nisi spatia repleta in *volumine*. Hodierni Judæi Legem hujusmodi *voluminibus* & *spatiis* scriptam in suis Synagogis recondunt. *Buxtorf. Instit. Epist. p.* 4.

VI. Multùm depugnatur, utrùm Judæi ab initio

adversam & aversam, propterea ipsorum scripta dicebantur in diversa parte scripta, seu opistographa; quæ vox deinde data iis scriptis, quæ digna essent non cedro, sed ut fierent integumenta & involucra Salsamentariorum & Aromatariorum, quibus illi scombros & thus involuta vendunt. *Pers. loc. cit.* 3. *Ovid. per cornua candida* intelligit *superiorem* & *inferiorem chartæ partem*, auro aut gemmis nitidam; per *nigram* autem *frontem*, ipsam paginam in tristi exilio conscriptam. Vide *Salmuth. in Panciroll. de charact. & charta. Goodwin. Anthol. lib.* 3, *sect.* 1. *cap.* 2.

Landesbibliothek Oldenburg

initio scripserint cum Vocalibus & Accentibus, aut an iidem à Masorethis additi sint? Quod ut intelligatur, opus erit inquirere, 1. Qui fuerint (4) *Masorethæ?* 2. Quod ipsorum *munus?* Et tum decidemus, quid plausibilius hac in re videri possit.

VII. *Primò*, quod attinet *Masorethas*, sciendum est, quod מָסַר significet *Tradidit*, & מָסוֹרֶת *Traditionem*, ex manu ad manum ad posteros sine scripto transmissam, quemadmodum *Pythagorici Druidæque* facere consueti erant. Sed hîc per Synecdochen significat *scholia & notas criticas*, positas in Bibliorum margine. Autores harum *notarum criticarum* vocabantur *Masorethæ*.

VIII. De iis autem, quales fuerint, duæ sunt opiniones. Quidam putant fuisse ipsos Judæos doctos, Tiberiade habitantes; proptereaque dictos *Sapientes Tiberiadis*. *Aben-Esra*. Vid. *Buxtorf. comment. Masor. c. 3.* Hi Sapientes putantur notas istas marginales addidisse Bibliis Hebr. brevi tempore post excusum Talmud Babylonicum, scil. circa annum Domini nostri 506. *Elias Levita in præf. 3. l. Masoreth Hammasoreth*. Verùm hæc opinio concidit duabus rationibus. 1. Quia historiæ non produnt, quòd ullum Col-

(4) Hîc nihil de Maserethis animadvertemus, quoniam passim apud Autores de iis legi potest. Videatur *Buxtorf. in Tiberiade. Glass. Philol. l. 1. tract. 1. Sixt. Amam. Antibarb. Bibl. Hotting. Phil. Thes. Leusden. Philol. dissert. 22. Senerti Exercitat. 2.* qui solus sufficiet, adeo fusè & planè hoc de Masorethis æquor percurrit.

Landesbibliothek Oldenburg

legium aut Schola tam longo temporis tractu Tiberiade perstiterit, sed potius quòd doctrinæ gradus ibidem cessârint anno 400. post nativitatem Salvatoris nostri. *Buxt. in Mas. c.* 7. Et 2. quia in utroque Talmude Masoræ ipsiusque rerum mentio fit. *Buxt. in comm. Mas. c.* 8. Alii ergo verisimilius dicunt, *Masorethas* illos fuisse *Concilium Ecclesiasticum* seu Collegium, constitutum ab *Esra*, *Haggai*, *Zacharia*, *Malachia*, aliisque pluribus ad reformandam Ecclesiam congregatis, idque post reversionem è Babylone. *R. Asarias. R. Gedalia. Buxt. in comm. Mas. c.* 11. Vocabantur *Collegæ* illi, *Viri Synagogæ magnæ.*

IX. Istud *Concilium* minimum 40. annos perstitit; nam *Simeon justus*, qui in vestibus Sacerdotalibus occurrit Alexandro Magno, mitigaturus infesto animo adversùs Hierosolymam moventem, ultimus illius *Concilii* fuit. *Pirke Aboth. c.* 1. Et hoc fuit plùs 300. annis ante nativitatem Christi. *Esra* erat *Præses Concilii*, tantæque apud Judæos autoritatis, ut ipsum comparârint Mosi, dicentes: *Dignus erat Esra, quòd data fuisset Lex per manus ejus Israëli, si non præcessisset eum Moses. Talmud. Sanh. c.* 2. *f.* 21.

X. *Secundò*, advertendum est *munus*, (*) seu *opus*, quod illi *Viri Synagogæ magnæ*, seu, *Masorethæ*, præ-

(*) Sæpiùs laudatus *Owenus* ait, *Esram* è Babylone reducem absolutissimam Ecclesiæ Judaicæ reformationem molitum. Istius Reformationis Esraïticæ *sex fuisse partes* solen-

præstiterint. *Opera* ipsorum *munusque* ad hæc singularia reduci possunt.

XI. Congregatâ Synagogâ magnâ, cujus caput fuit *Esra*, inspiratione Spiritus S. clarus, *Collegæ* determinabant, qui libri essent *canonici*, qui *spurii* & *apocryphi*. *Buxtorf. in comm. Mas. c.* 11. Castigabant libros canonicos ab omni errore, qui tempore captivitatis in ipsos irrepserat. *Tertull. l. de habit. mulier. Chrysost. Homil.* 8. *ad Hebr. Irenæus adverf. hæres. lib.* 3. *c.* 25. *August. de mirab. Sacræ Script. l.* 2. *circa finem.* Dividebant Vet. Test. in libros 22. pro numero literarum Hebraïcarum *Genebrard. lib.* 2. *Chron.* Idque in *sectiones magnas*, & *versus*; nam etiamsi Lex non ita citra ordinem, aut sine ullo spatio & distinctionis inter vocem & vocem signo, scripta esset, ut videretur esse unus continuus versus, aut, quemadmodum *Kabbalistæ* dicunt, תיבה אחרת *Dictio una*, usque ad tempora *Masoretharum*, attamen

solenniores. [1] *Templi & festi tabernaculorum restaurationem. Neh.* VIII. 15-18. [2] *Synagogæ magnæ institutionem.* Quæ *Synagoga*, seu consessus aut congregatio, *magna* dicta est, non à membrorum numero sed dignitate, quòd assessorum plurimi viri erant θεόπνευστοι & prophetæ, Spiritûs S. amanuenses. [3] *Sedulam verbi Dei prædicationem. Neh.* VIII. 1-8. [4] Πολυγαμίας & *commixtionis cum alienigenis reprobationem. Mal.* II. 14-16. [5] *Cuthæorum excommunicationem. Esr.* IV. 2. 3. [6] *Diligentissimam Exemplarium librorum sacrorum accurationem.* Hancque præprimis partem noster Autor *Goodwinus* dat istis Synagogæ magnæ viris, dictis plerumque אנשי כנסת גדולה.

tamen non ita distincta eadem erat in sectiones & versus, ut nunc habemus. Addiderunt suas censuras & notas criticas, quantùm requirere videbatur irregularitas multarum vocum, respectu Vocalium & Accentuum. Numerabant versus, voces, literas cujusque libri, ut præcaveretur omnis corruptionis possibilitas, ævis insequentibus; nam abhinc, dicebant, deficiet donum prophetiæ. Tandem annotabant *variantes scriptiones & variantes lectiones*. (†)

XII. Quod ut intelligatur, sciendum est, quòd in textu Hebr. multæ voces scribantur pluribus, multæque paucioribus, quam proferan-

(†) Varia de *variantibus* Hebræi codicis *lectionibus* autorum est sententia. Collationi Exemplarium Esraïticæ τὸ *Keri* & τὸ *Ketibh* tribuunt plurimi. Mendas in describendo potuisse irrepere in Codices, quis putet impossibile fuisse? Exemplaria verò multa, antiquæ fidei & scripturæ, Esræ sociisque propheticis servata, quis neget? Illius ergo viri, ut loquar cum *Abarbenele* citato à nostro *Oweno*, cura hæc fuit: „ Priusquam punctationem in„ stitueret, & accentus, & distinctionem versuum, „ attendit ad lectionem, & si quid occurrit à naturæ „ linguæ vel regulis grammaticæ alienum, reputavit, „ id contigisse, *vel* quòd scriba in his heteroclitis spe„ ctârit aliquod è mysteriis legis; ideoque non ausus „ est delere quidquam, intellexit enim, non sine causa „ scriptas esse literas defectivas & redundantes, & ejus„ modi peregrinas dictiones; quamobrem reliquit eas „ in textu, in margine verò posuit *Keri*, expositio„ nem scripturæ exoticæ; *vel* quòd scriba dictiones he„ teroclitè scriptas, ob imperitiam vel linguæ vel or„ thographiæ, non rectè expressérit; adeoque in mar„ gine veram scripturam & lectionem restituit.

ferantur, literis; & quòd multæ voces scribantur, quæ non legantur. Sunt autem octo voces, quæ scriptæ sunt in textu, sed non leguntur, quas adducit *Masora. Ruth.* III. 12. &c. Diversitas in margine exprimitur, unde diversitas in textu vocatur כתיב *Scriptio*: diversitas in margine קרי *Lectio*, quia vox in margine notata legitur. Hanc diversitatem quidam putant esse Bibliorum *correctiones*, juxta diversa *Exemplaria*, post liberationem ex Babylone factas. Contra hos disputat *Elias Lev. in præf. 3. l. Mas. Hammas.*

XIII. Quòd autem eæ diversitates sint autoritatis divinæ, continentes multa mysteria patefacta Mosi, & insequentibus Prophetis (licèt plurima illorum nostrum ævum lateant) quodque non sint *correctiones*, sed quòd studio & summam ob rationem ab ipsis Prophetis sanctisque Scripturæ Scriptoribus fuerint constructæ, hoc ὀφθαλμοφανῶς patet ex variantibus lectionibus, quas deprehendimus in illis libris, quos conscripsêre *Haggai*, *Zachariah*, *Maleachi*, *Daniel*, *Esra*. Qui quum essent suorum librorum autores, non habebant opus correctione eo tempore, cùm essent præsentes; nihilominus in iisdem variantes lectiones occurrunt.

XIV. *Tertiò*; conclusio hæc sequitur; quia *Masorethæ* suæ censuræ virgulâ multas voces propter irregularitatem Vocalium & Accentuum in Bibliis notant, propterea Vocales non agno

ſcunt autores *Maſorethas*, ſed redolent eandem cum ſuis vocibus (5) vetuſtatem. Et reverâ aliàs *corpus ſine anima* fuiſſent. (6)

CAP.

(5) *Ludovicus Capellus* ſcripſit *Arcanum punctationis*, quo probare conatur novitatem punctorum, ſed ſolidè refutatus à *Buxtorfio*. Benè autem Autor noſter æqualem Vocalibus cum Conſonantibus adſtruit vetuſtatem; nam quomodo Judæi loqui potuiſſent ſine Vocalibus? quomodo ſuos pueros erudire? unde hodierni Judæi ſuos filios filiaſque inſtituunt in Bibliis punctatis, in Synagogis utentes Bibliis non punctatis, quia adulti ex Bibliis punctatis didicerunt uſurpare non punctata. Alia ergo quæſtio eſt hæc, num Bibliis fuerint Vocales ante *Maſorethas*? quod nullo modo negari poteſt, uti patet; nam non potuiſſent Judæi in iis informari; deinde multæ voces fuiſſent ambiguæ in S. Scriptura, quod Dei providentia ſine dubio præcavit. E. G. Si fuiſſet ſcriptum מלך, pueri & legentes Biblia, neſciviſſent, num *Præteritum*, *Participium*, *Infinitivus*, an *Nomen* eſſet. Nihiloſecius quid obſtat, ſi dicamus, ad conciliandam utramque tùm de vetuſtate tùm de novitate vocalium ſententiam, literas absque punctis uſu quotidiano & lectas & ſcriptas vulgò fuiſſe, puncta verò fuiſſe Moſi, & ab hoc prophetis, ac ſacerdotibus, tanquàm partem legis oralis & clavis ſcientiæ, concredita? ut, ſi quà dubium oriretur ab illis Iſraëlitæ doceri poſſent. Traditionem enim aliqualem ſuperius affirmavimus. Deinde autem cùm Judæi in captivitatem Babylonicam abducti, multumque à vera Scripturarum intelligentia, cùm Exemplarium, tùm præprimis eorum defectu, qui in punctis myſtæ eſſent, eaque noſſent & in depoſito haberent, dejecti eſſent, Eſræ forſan viſum fuiſſe, S. Scripturam Iſraëlitis explanatè interpretari, & omnibus exemplaribus puncta, in ſcrinio habita, adjicere, atque ſic Biblia punctata evulgare.

(6) Hoc ſimile habent Judæi in Talmude Hieroſolymitano.

CAP. VIII.

De metationibus tentoriorum & castris Israëlitarum.

I. TEmplum Israëlitarum in desertis vagantium fuit *Tabernaculum*, & domicilia *tentoria*, adeo ut *castra* ipsorum dici potuerint *urbs mobilis*.

II. *Castra* distinguebantur in tres partes. In centro seu in medio erat *Tabernaculum cum atriis*, quod vocabant *castra Majestatis Divinæ*. Circum ea proximè habitationes figebant Sacerdotes & Levitæ, quibus cura tabernaculi commissa, & propterea proxima habitatio commodissima erat. Hæc vocabant *castra Levi*. In extrema parte circum Levitas sua metabantur *tentoria* duodecim Tribus, vocabantque *castra Israëlis*.

III. *Prima castra* erant instar templi cathedralis cum cœmeterio. *Secunda* instar loci privilegiarii prope templum, in quo erecta sunt pro clericorum habitationibus Collegia. *Tertia* velut corpus urbis, ubi cives seu laïci habitant.

IV. Totorum *castrorum forma* verisimiliter putatur

tano. Hinc *Zohar*: *Qui absque punctis legit, similis est illi, qui sine fræni equitat.*

tatur fuisse (1) *quadrata*; quidam dicunt eadem exivisse in 12. milliarium longitudinem, & 12. milliarium latitudinem. *Uziel Num.* II. 3. A parte Orientali tendebant hæ tres Tribus, *Juda, Isaschar, & Zebulon.* A parte Australi, *Ruben, Simeon, & Gad.* A parte Occidentali, *Ephraïm, Manasse, & Benjamin.* A parte Boreali, *Dan, Ascher, & Naphthali.* Et hæ Tribus constituerunt extrema, seu *Israëlis castra.*

V. Inter singulas Tribus, in singulis his quatuor partibus, patebant spatia magna instar platearum, in quibus, quemadmodum in Foris, emebatur vendebaturque, ac ubi institores Cereales apportabant, reducebantque. Οὐδενί τε ἄλλῳ ἡ πόλει καθηρμόσθαι καὶ κατορθωμένῃ ἐῴκει *nulli alii rei, quàm urbi benè ordinatæ & dispositæ similia sunt*, scil. castra, *Joseph. l. 3. antiq. c. 11. p. 57.*

VI. Tra-

(1) Romanorum *castra* eandem penè faciem tulêre. Erant quoque *quadrata*, posito in medio Prætorio, seu tabernaculo, quod *Imperatores, Dictatores, Consulesque* occupabant. Deinde erat *Quæstorium*; & postea *Tribuni gregariique* tendebant. Media *castra* dividebant viæ, quas dicebant *plateas* & *strigas*, nec aberant *fora.* Quatuor itidem portæ emittebant copias in prælium euntes. Credibile est, quòd Diabolus Hammonis templum juxta hanc *castrorum* formam strui voluerit, quippe non absimile fuit, uti describit *Curtius* aliique. Postmodum *castra* Israëlitarum bella moventium videntur fuisse orbis instar & coronæ formata & pilata, *Esa.* XXII. 18. XXIX. 3. *Job.* XV. 24. Quòd autem castra Israëlitarum non in 12. milliarium longitudinem, nec in totidem milliarium latitudinem, ut *Jonathan Uziel* tradidit, extensa fuerint, sed tantùm circitèr duo milliaria Germanica patuerint, demonstrat Illustris *Ludolfus Dissertat. de locustis p.* 45. 46.

Landesbibliothek Oldenburg

VI. Tradunt Hebræi, filios Israëlis castra ita metatos fuisse circa tabernaculum, ut unum milliare interfuerit, h. e. spatium mille passuum, quod est iter Sabbathi, *P. Fagius. Num.* 2. 3. quod colligitur ex *Jos.* III. 4. ubi præcipitur spatium cubitorum 2000. inter populum & Arcam. Postea tendebant castra Levitæ: A parte quidem Orientali, *Moses & Aaron & Sacerdotes*; à parte Australi, *Cohathitæ*; à parte Occidentali *Gersonitæ*; à parte Boreali *Meraritæ*.

VII. In meditullio erant *castra Divinæ Majestatis*. Huc allusit *David Psal.* XLVI. 6. *Deus est in medio ejus; non movetur.* Stabilitâ Republicâ, partes Hierosolymæ æquali modo distinctæ fuêre. A portis Hierosolymæ ad montem templi erant *castra Israëlis*; à porta montis templi ad portam atrii (quæ aliàs vocatur *porta Nicanoris*) erant *castra Levi*; à porta atrii & longiùs erant *castra Majestatis Divinæ. Maimon. in Bethhabchirah. c.* 7. *sect.* 11.

VIII. Adhæc sciendum est, quòd duodecim Tribubus fuerint quatuor principalia (2) *vexilla*; singula *vexilla* trinis Tribubus: quam ob

 causam

(2) Olim visæ sunt mappæ Geographicæ Palestinæ, quæ ostendebant signa cujusvis Tribus, ex benedictione morientis Jacobi ex parte desumpta. *Ruben* gerebat tres *ursos* obambulantes; *Juda leonem* in pedes erectum; *Dan anguem* in se innexum; *Simeon gladium* erectum; *Levi* duas *tabulas*; *Joseph bovem*; *Nephthali cervam*; *Isaschar asinum*; *Benjamin lupum* &c. Sed ob tres rationes non videntur

causam Ecclesia dicitur *terribilis ut acies vexillis instructæ. Cant.* VI. 4. Vocabulum Hebr. דֶּגֶל *vexillum Num.* II. 2. vertunt LXX. τάγμα *ordinem, turmam.* Ἄνθρωπος ἐχόμενος κατὰ τάγμα αὐτοῦ *quisque juxta ordinem suum. Chaldæi* vocant תִּקְסָא (quam vocem mutuantur à Græcis, quibus τάξις idem est) *ordinem*: ut גְּבַר עַל תִּקְסֵיהּ *quisque juxta ordinatas suas acies.* Hinc suum loquendi modum sumpsit Paulus 1. *Cor.* XV. 23. Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι.

IX. Singula *vexilla* putantur fuisse tribus coloribus tincta, secundùm colores gemmarum in pectorali, & gestâsse Patriarcharum nomina. *Jonath. Uz. Num.* II. 3. Verùm hæc proportio vacillat; *nam Tribus Levi*, quæ hîc reliquis Tribubus non annumeratur, suam tamen gemmam habebat in pectorali. *Joseph* autem, cujus gemma in pectorali fuit *Beryllus*, hîc constituit duas Tribus,

dentur hæc posse stare. 1. Quia in benedictione Jacobi de Josepho nulla fit mentio *bovis*, licèt in benedictione Mosis; si autem hæ benedictiones Jacobi & Mosis confunduntur, non sola Tribus *Juda* geret *leonem*, sed & tribus *Dan*, de qua idem dicitur, quod de *Juda*, nempe quòd sit גּוּר אַרְיֵה *Catulus leonis. Deut.* XXXIII. 22. 2. Quia *Simeon* & *Levi* dicuntur habuisse diversa signa, cùm in benedictione Jacobi utraque Tribus sub una prophetia contineatur, nec in benedictione Mosis *Simeon* peculiarem benedictionem sortiatur. 3. Quia Hebræi de signis istis prorsùs discrepant. Vid. *Drus. in Pentat.* & *Broun. in Pseudodoxia Epidemica.*

Landesbibliothek Oldenburg

Tribus, *Ephraim & Manassen*, cui tamen non possunt duo ex pectorali colores tribui.

X. Singulis *vexillis* sua erat *inscriptio*. In primo exaratum erat illud *Num.* X. 35. *Surge Jehova, & dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui à vultu tuo.* Præterea putant Hebræi, quòd singulis *vexillis* impressum fuerit peculiare *signum*. In *vexillo* Ruben dicunt fuisse imaginem (3) hominis; in *vexillo* Judæ imaginem leonis; in *vexillo* Ephraim imaginem bovis; in *vexillo* Dan imaginem aquilæ. *P. Fagius Num.* 2. *Aben-Esra ibid.* Quæ quatuor animalia memorantur ab *Ezech.* I. 10. ad delineandam Angelorum naturam; nam Angeli ex hoc versu describi possunt, quòd sint Spiritus intelligentes, ut Homo; potentes, ut Leo; Ministratorii, ut Bos; & celeres, ut Aquila. *Tremell. in Ezech.* I.

Hanc

(3) Si quæ signa expressa fuerunt in istis quatuor *vexillis*, credo, quòd fuerint, quæ refert *Aben-Esra*, siquidem quæ aptam analogiam habent. Nam populus Dei & electi sunt milites, quibus in hoc mundo leonino animo pugnandum, & bovinâ tolerantiâ & stabilitate laborandum & non cedendum, & aquilinâ celeritate à castris Diaboli ad Deum Zebaoth transeundum; & quibus angelica seu humanâ prudentiâ & omni stratagemate utendum, ut capiant & lucrentur animas Duci Jesu, & augeant exercitum filiorum Dei, item ut eludant machinas & technas Satanæ. Cabbalistæ autem his quatuor *vexillis* inscriptas dicunt fuisse quatuor literas יהוה, fabulantes iisdem quatuor præcipuos menses & quatuor præcipua Zodiaci signa respondisse, nimirùm *arietem*, *cancrum*, *libram*, & *capricornum*, & influentiam suam in ea habuisse.

Hanc Cherubinorum descriptionem (4) habes *Apoc.* IV. 6.

XI. Per quæ quatuor animalia, juxta multorum Patrum sententiam, figurantur *Evangelistæ quatuor. Hieron. ad init. sui comment. in Matth.* Item *Gregor. Homil. l.* 4. *Ezech. ab Hieron.* dissentit *August. in Matth.* & *Marc.* nam in leone Matthæum, Marcum in homine putat adumbratum. *August. de consens. Evang. l.* 1. *c.* 6. Ita vulgò putant, quòd *Homo Matthæum* adumbrârit, quia Evangelium exorditur *generatione* Christi secundùm humanitatem; *Leo Marcum*, qui suum Evangelium inchoat voce Leonis, rugientis in deserto; *Vox clamantis in deserto; Bos Lucam*, quia inchoat cum Sacerdote Zacharia; & *Aquila Johannem*, quoniam altiùs evolat, initium de Deitate Christi capiens.

XII. Sic videmus, quomodo metati sint sua *castra*; sequitur ipsorum *motio* & *progressus*; ubi annotanda I. Ipsorum *motio* in itinere per desertum. II. Ipsorum *eductio* in bellum. I. Quod attinet *motionem* in itinere; aut progressi sunt, aut constiterunt ratione nubis, quæ ipsos comitabatur; scil. si illa se aut moveret aut sisteret; cujus modus describitur *Num.* X.

XIII. Summatim observemus, quòd, cùm Deus

(4) Quid per *Cherubinos* denotetur superiùs annotatum est.

Deus nubem (*) tolleret, Mose precato, & signo ad movendum à Sacerdotibus edito, tum moverit primum *vexillum*, *Juda* cum *Isaschar* & *Zabulon*, subsequentibus *Gersonitis* & *Merarithis*, qui asseres & pelles Tabernaculi curribus ferebant. Tubis alterum signum dantibus, movebant *Ruben*, *Simeon*, & *Gad*, sequentes Tabernaculum. Post hos ibant *Kohathitæ*, medii inter duodecim Tribus, ferentes humeris suis *arcam*, *lychnuchum*, *mensam*, *altare* aliasque res sacras. Tertio tubæ signo excitum est *vexillum Ephraimi*, *Manassis*, & *Benjaminis*, sequentium Sanctuarium. Huc respexit David, orans *Psal.* LXXX. 3. *Coram Ephraïmo*, & *Benjamine*, & *Manasse excita præpotentiam tuam*, & *veni ad salutem nobis*. Quarto signo tubâ dato, prodibant cum *vexillo* suo *Dan*, *Ascher*, & *Naphthali*, quibus erat demandata cura claudorum, debilium, & ægrorum, ne quis relinqueretur, sed omnes colligerentur, unde & illud *vexillum* vocatur *acies colligens*. *Jos.* VI. 9.

Quò

(*) Celebris *Philologus Helmstadiensis*, cui Mundus curiosus multa debet, putavit *nubem* istam, quæ Israëlitis præivit interdiu, & ignem, qui præluxit noctu, fuisse *fumum* illum perpetuum ex igne perpetuo ad sidera sese, *columnæ* instar & nubis, volventem; & ignem istum, quem Iraëlitæ æternum in ara fovere debebant, *Exod.* XIII. 21. hunc castris cum sanctuario prælatum, viam errantibus monstrasse. Cui fidem haberem, nisi Deus diceretur in nube descendisse, & in nube apparuisse in monte, *Exod.* XIX. 9. ac è nube locutus esse in Sancto Sanctorum, *Lev.* XVI. 2. nisi & hanc nubem thymiamatibus accensis dare lubeat, vs. 13.

Landesbibliothek Oldenburg

Quò respexit David *Psal.* XXVII. 10. *Pater meus & mater mea dereliquerunt me; at Jehovah suscipiet me.*

XIV. II. Quod attinet *eductionem* in bellum. 1. Sacerdotes tubis edebant *sonum fractum*, *Num.* X. 9. quem vocant תְּרוּעָה *clangorem*, *vociferationem*. Hebræi duplicem *clangorem* esse statuunt, alterumque vocari תְּקִיעָה *clangorem*, alterum תְּרוּעָה *sonum fractum*; quorum ille æquabilis est vox, hic verò citus concisusque fragor; ille ad convocandos cœtus, hic ad accendendos militum animos. 2. Delectus ex toto numero Sacerdos est, qui animos populi flexanimâ oratione (ς) ad pugnam incitaret. *Deut.* XX. 2. Hunc appellabant מָשׁוּחַ מִלְחָמָה *Belli causâ unctum*. 3. Ad prælium ibant *quini* in uno ordine. *Exod.* XIII. 18. Vox חֲמֻשִׁים hoc indicat. (†)

XV. Tan-

(ς) Hic Sacerdos *belli causâ unctus* pronuntiabat illa verba *Deut.* XX. 3. 4. non sub ipsam pugnam, sed tunc, cùm ad bellum exiret populus. Verùm non tantùm istos versiculos, sed & alia quoque ex tabula aut libro publicè recitabat. *Cunæus de Rep. Hebr. l.* 2. *c.* 20.

(†) Notabilis est ille locus *Exod.* XIII. 18. *Et circumduxit Deus populum versus viam deserti ad mare rubrum* (Suph.) *Et quini ascenderunt filii Israël ex terra Ægyptiorum.* Ubi duo notanda. [1] *Mare Suph*, quod *rubrum*, & LXX. θάλασσαν ἐρυθρὰν, dicunt, propriè notare *mare Algosum*, das Schilff-Meer; nec ullâ ratione rubrum dici à rubicante sabulo, nec à coralliis, quæ in eo inveniuntur,

XV. Tandem obſervandum eſt, quomodo ſe gerere debuerint in *obſeſſione* urbis alicujus. Quod ut benè capiatur, duas has nota propoſitiones. I. *Pacem debebant offerre omnibus inquilinis & Cananæis. Deut.* XX. 10. Hoc clarè patet *Joſ.* XI. 19. 20. *Nulla fuit urbs, quæ pacem iniit cum filiis Iſraëlis, niſi Hevitæ Gibeonis incolæ; omnes ceperunt bello. A Jehova enim fuit, ut obdurarentur corda ipſorum.* Moab autem (6) & Ammon

untur, cum aqua ab oceano nihil differat, & pluribus in locis ob arenam albicantem magis candeſcat; Sed ita dici à planta quadam marina è fundo prodeunte, & plantæ *Carcago* non diſſimili. Hæc planta ſæpius à fundo ſoluta ſuo loco aquam rubro colore inficit, & in Aſia ubivis ferè creſcit. Æthiopes *ſufo* vocant & plantam, & colorem rubrum, quem ex flore illius conficiunt, & in India Orientali ad tingendos pannos uſurpant. Flos croco ſimilis eſt. [2] Iſraëlitas *quinos* h. e. militari ordine, ex Ægypto egreſſos, & poſtea eodem numero in bellum prodiiſſe. *Joſ.* I. 14. & IV. 12. *Lutherus* τὺς LXX. ſecutus, qui alibi per ἐυξώνυς & διεσκευασμένους *accinctos* & *expeditos*, reddunt, exponit **gerüſtet.** Sed prorsùs ſiniſtrè LXX. hoc loco transferunt, πέμπτῃ γενεᾷ ἀνέβησαν, *quintâ generatione aſcenderunt filii Iſraël.* Num verò *quini* inceſſerint ob facilitatem copias numerandi, an per anguſta procedendi, an aliam ob cauſam, milites viderint. Quicquid ſit, *quintus* ille numerus, infauſtus eſt, & quintationem ad Ægyptum pertinere, ſuprà diximus.

(6) De *Ammonitis* & *Moabitis* ſingulare edictum exſtat *Deut.* XXIII. quo cautum eſt, ne Iſraëlitæ ipſos unquam ad pacem ſollicitarent, tum quia commeatum ipſis non advexiſſent ex Ægypto adſcendentibus, tum quia *Bileamum* conduxiſſent adversùs Iſraëlitas. *Maimonides* tamen, referente *Cunæo l. c.* hoc notat; nempe, *quòd Iſraëlitæ*, etſi

Ammon hîc excepti sunt. *Pacem ipsorum & bonum ipsorum*, Israëli interdictum erat quærere, *Deut.* XXIII. 6. II. Non licebat Israëli *fœdus ferire cum septem populis. Deut.* VII. 2. *Exod.* XXIII. 32. XXXIV. 15. Licebat autem cum peregrinis. *Jos.* IX. 7. *Forsan in medio mei habitas, & quomodo percuterem tecum fœdus? Non; quomodo pacem componerem tecum?*

XVI. Si quis quærat, quid discriminis sit inter τὸ *pacem componere*, & *fœdus pangere*? Resp. Duplex discrimen est. 1. *Compositio pacis* erat *nuda stipulatio & promissio mutua*, ad tollendam omnem simultatem dissidiumque mutuum, ut utriusque partis vita tuta esset. *Percussio* autem *fœderis* erat *mutua solennisque devinctio*, de invicem præstanda illa promissione mutua, fiebatque externis ceremoniis, scil. dissecando bestiam, & inter partes transeundo. *Jer.* XXXIV. 18. q. d. *Ita fiat ei, & ita corpus ejus dissecetur, qui ruperit hoc fœdus.* Hæc est causa, cur Hebræi, *fœdus facere*, dicant כָּרוֹת הַבְּרִית *dividere* aut *dissecare fœdus*, quemadmodum apud Latinos dicitur *percutere fœdus*, quæ locutio fluxit ab antiquo

etsi legatos de pace non miserint ad eos, quemadmodum ad cæteros populos, tamen, si sponte suâ initio & primi eam cuperent, non repellere eos debuerint. Quicquid fuerit, illa præcepta de non paciscendo cum omnibus indiscriminatim gentibus amicitiæ fœdere, & bono eorum non quærendo, non sunt de natura novi Testamenti, quod singulos, etiam inimicissimos, amare, juvare, & salvare præcipit.

Landesbibliothek Oldenburg

quo fœderis faciendi ritu. Sacerdos enim vel Fecialis feriebat porcum silice, dicens: *qui prior defecit dolo malo, hunc tu illo die Jupiter sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam. Liv. Dec. 1. lib. 1. c. 24.* Deinde 2. Israëlitæ non *componebant pacem*, nisi hâc conditione; *ut populus iste fieret tributarius. Deut. XX. 11. Percussio* autem *fœderis* stabat æqualibus utrinque legibus, sine ulla vel tributi vel servitutis conditione, uti patet ex fœdere, quod pepigit cum Gibeonitis Josua, ubi nullius omnino conditionis mentio. *Jos.* IX.

XVII. Hæc distinctio videtur mihi sequenda; utpote 1. Quæ facit ad multorum Scripturæ locorum conciliationem; ut quando Deus ait: *offer omnibus pacem, & cum nemine pange fœdus.* 2. Ostendit, quòd fraus (7) Gibeonitarum vulgari opinione major sit; nam non simpliciter quæsiverunt *pacem*, sed etiam *fœdus*; *Secate nobiscum fœdus. Jos.* IX. 6. Et 3. solvit tritam objectionem *pro juramentis inconsideratis*, quòd illa,

(7) Commodissima sunt, quæ hîc Autor habet. Nam cùm omnibus Cananitis *pax* fuerit offerenda, quæri posset, cur ergo Gibeonitæ eam, quam poterant jure, adsequi fraude tentârint? Huic objectioni occurrit Autor noster hîc. *Maimonides* tamen aliquam quoque rationem adfert dicens; *Ad Gibeonitas æquè ac ad cæteros populos missos fuisse caduceatores, quos Gibeonitæ rejecerint, spreto omni pacis consilio & remedio. Postea videntes, quòd Israëlitæ vicinos populos pacis contemptores delessent, cùm nullum apertæ magis pacis salutisque consilium suppeteret, præsentis periculi speciem adeo corda animosque ipsorum perstrinxisse, ut rem dolo tentare studuerint. Weemse Synag. Christ. l. 1. c. 6. sect. 8. paragr. 4.*

licèt illicita, obligent. Objectio verò ita habet: *Fœdus, quod Josua inconsideratè pepigit cum Gibeonitis, illicitum fuit, & tamen Josua illud servavit; ruptumque à Saule, Gibeonitas percutiente, ultus est Deus. 2. Sam.* XXI. 1. *Ergo &c.* Dico, quòd solvat hanc objectionem, quia, sedulò contemplando factum Josuæ, reperiemus, juramenta inconsiderata eò usque & tantum eò usque esse obligatoria, quoad convenit inter ipsa Verbumque Dei. Verbum Dei volebat, Gibeonitas esse tutos à vitæ periculo, quoniam pacem accipiebant; huc usque ergo fœdus illud in suo vigore mansit. Rursùs Verbum Dei requirebat, Cananitas acceptâ pace oportere esse tributarios; hîc fœdus illud nullam vim habuit, proptereaque fecit ipsos Josua *lignorum putatores & aquam haurientes*; quod fuit tributi species, juxta locutionem Scripturæ; *tributum scil. corporis*, non *æris*; quo sensu Ægyptii præfecti, qui cuivis suam statam operam demetiebantur, in Hebr. vocantur שָׂרֵי מִסִּים *præfecti tributorum, Exod.* I. 11.

CAP.

CAP. IX.

De Mensura.

I. MEnsuræ, Hebræis ut & omnibus aliis nationibus usitatæ, duum fuerunt generum. 1. Quædam *mensuræ applicationis*, veluti *spithama*, *ulna* &c. 2. Quædam *mensuræ capacitatis*, veluti *pintæ*, *sextarii*, & *modii* &c.

II. 1. *Mensuræ applicationis*, in Scriptura quæ occurrunt, sunt sequentes, quibus fraus omnis abesse debuit. Fundamentum harum *mensurarum* erat latitudo tot & tot granorum hordeaceorum mediocri magnitudine, juxta se positorum.

III. אצבע *Digitus*, seu latitudo pollicis, complectebatur sex grana hordei corpore juncta. *Arias Montanus Thubal-Caïn.* Verùm licèt *digitus* per rotundam supputationem pro *pollice* sumatur, *quatuor tamen digiti*, si accuratè velimus loqui, *constituunt tres pollices. Franc. Jun. in Ezech.* XL. 5. Hujus fit mentio *Jer.* LII. 21.

IV. *Palmus*; (†) qui duplex fuit, *palmus minor*,

(†) *Palmus* & *Palma* aliquo modo differunt. Illud est mensuræ genus; estque vel *minor* vel *major*. Minor est 4. digitorum; major duodenûm. Hoc autem notat volam manûs, Græcè πάλαμην. Ab hac dictione dicta est *palma* arbor, quòd expansis est ramis, in modum palmæ hominis. Hinc & fructus ejus à similitudine *Digitorum* vocantur Δάκτυλοι, *Germ.* Datteln.

nor, & *palmus major*. *Minor* est *mensura* quatuor digitorum conjunctorum, seu trium pollicum; Græci vocant illam *mensuram* παλαιστὴν, Hebræi טוֹפַח. *Major* (1) vocatur זָרֶת, Græcis σπιθαμή, Latinis *spithama* & *dodrans*; & est *mensura* digitorum, à pollice summo ad digitum minimum expassorum.

V. פֵּעֶם *Pes*, continet pollices duodecim, seu quatuor palmos minores, aut sedecim digitos. *P. Martyr.* 1. *Reg.* VI.

VI. אַמָּה *Cubitus*, *ulna*. Quatuor *cubitorum* genera occurrunt apud Autores. 1. *Cubitus vulgaris*, seu distensio à flexura brachii ad extremitatem digiti medii. Continet pedem & dimidium, seu sesquipedem. 2. *Cubitus sacer*, erat virga plena, complectens duos *cubitos vulgares*, uti patet ex coll. 1. *Reg.* VII. 15. cum 2. *Chron.* III. 15. Priori loco dicuntur columnæ altæ *octodecim cubitos*: posteriori, *cubitos triginta quinque*; quibus si addatur altitudo basis, quæ erat *pes* vel *ulna vulgaris*, duplicatur numerus; sic ut textus prior loquatur de *cubitis vulgaribus*, posterior de *sacris*. 3. *Cubitus Regis*, qui trium digito-

(1) *Major palmus* זָרֶת dicitur à זָרָה *spargere*, quòd digiti spargantur in metiendo. Continet tres *palmos minores*, seu duodecim digitos, aut dimidium *cubiti sacri*. *Palmus* ergo *major*, & *Pes* פֵּעֶם ejusdem sunt mensuræ. *Cubitus* verò *vulgaris* quùm quinque *Palmos minores*, h. e. viginti digitos complectatur, *Cubitus Sacer* erit 40. digitorum, vel 30. pollicum, & trium circiter pedum.

Landesbibliothek Oldenburg

digitorum longitudine superabat *cubitum vulgarem*, qui *vulgaris* proinde vocatur *cubitus viri*, *Deut.* III. 11. quemque *Onkelos* inconvenienter vertit *cubitum Regis*. *Vid. Herodot. l. 2. in descript. Bab.* 4. *Cubitus Geometricus*, mensura æquans sex *cubitos vulgares*; juxta hos cubitos creditur *Arca Noachi* structa. *Orig. Hom. 2. in Genes.* Item *August. de C. D. lib.* 15. *c.* 27.

VII. Quidam *cubitum sacrum* & *vulgarem* ita distinguunt: *vulgaris cubitus*, ajunt, complectitur *quindecim pollices*, seu *quinos palmos minores*; *sacer octodecim pollices* seu *sex palmos minores*. Veruntamen firmavimus, *sacrum cubitum* complexum esse *duos vulgares*. Et verisimile est, quòd, qui statuunt, eos *cubitos* tantùm differre *tribus pollicibus* seu *uno palmo*, errorem suum trahant ex eo, *quia cubitum Regis habent pro sacro*.

VIII. חֶבֶל *Funiculus*, *funis*. Justa ejus longitudo ignoratur; usus fuit metiri fundos; hinc & ipsius hæreditatis nomen capit. (*) *Funes mihi ceciderunt in amœnis*, *Psal.* XVI. 6. h. e. hæreditas mea.

(*) Hoc vocabulum חֶבֶל notat [1] *funem* ita dictum à φοίνιξ, quia è palmarum foliis funes plectuntur, *Esa.* XXXIII. 23. vel à χοίνοις, *Juncis*; cujusmodi *flagellis junceis* D. Jesus Templi violatores expulit; *Joh.* II. 15. Et [2] *Mensuram* adhibitam in dividendis agris, quæ fiebat funiculis mensoriis. Quo etiam modo terra Canaan inter Israëlitas divisa est. [3] Et abhinc *Tractum*, *Regionem*,

IX. קָנֶה *Arundo*, *calamus*. Usus hujus fuit ædificia metiri, longitudo æquabat *sex cubitos*, & *palmum unum*, *Ezech.* XL. 5. *Cubiti* hoc loco exponuntur per *cubitos Regis*. Minor in hac mensura fraus subesse poterat, quàm in funiculo, quia extendi plus, plusve contrahi nequibat. Inde *Canon S. Scripturæ* mysticè adumbratur *calamo*. *Ezech.* XL. *Apoc.* XXI. 15.

X. His insuper aliæ addi possunt *mensuræ*, quibus *mensurârunt viæ & gressus*. Minima hujus generis fuit צֵעַר (2) *passus*.

XI. Στάδιον *stadium*; cujus sæpiùs in N. T. nunquam in V. T. mentio fit. Continet 125. *passus* seu octavam (3) nostrorum milliarum partem. *Isidorus*. Sunt qui putant στάδιον denominari ἀπὸ τῆς στάσεως *à stando*, quod Hercules tantum terræ spatium cursu haud interrupto *emensus sit*, *antequam steterit*.

XIII.

nem, quasi fune limitatam & divisam. Quapropter LXX. & Apostoli frequenter usurpant vocabulum μέρος, vel μέρη τῆς γῆς, *partes*, vel *Regiones Terræ*, Land-Theile. *Matth.* XV. 21. *Eph.* IV. 9.

(2) צֵעַר Græcè ὀργυιὰ dicitur, est *mensura trium cubitorum* seu *quinque pedum*.

(3) *Stadium* conficit *octavam Italici & Anglici milliaris partem*, *trigesimam* autem *secundam Germanici*, h. e. *pedes* 600. vel *passus* 125. De dispari magnitudine Stadii *Italici* atque *Græci* scripsit *Puteanus Cent.* II. *Epist.* 98.

Landesbibliothek Oldenburg

XII. *Milliarium* est *spatium mille passuum*, plurium (4) tamen apud Hebræos; apud quos vox כברה sæpiusculè *milliarium* transfertur, propriè tamen notat *prandium*, aut *alimentum*, à ברה, ut כ sit Servile; applicatumque *viis* & *spatiis*, significat tantum loci intervallum, quantum homo commodè conficere potest die dimidio à pastu ad pastum. Vox ea legitur *Genes.* XXXV. 16. כברת הארץ *pastus terræ*, iter diei dimidiæ. Græci eo loco peregrinum substituunt vocabulum χαβραδά, extra dubium confictum ex Hebr. כברה.

XIII. 2. *Mensuræ* (5) *capacitatis* erant duûm generum; quædam *mensuræ aridorum*, ut *frumentorum*, *seminum* &c. & quædam *liquidorum*, ut *vini*, *olei* &c. Ut in utrisque *mensuris* justa pro-

(4) Scil. *milliarium Italicum* & *Anglicum*, est *mille passuum*, nostrum autem quater superat *Italicum*, adeoque est 4000. *passuum*. Huic ergo nostro *milliari* convenit Hebræorum *milliare*, quòd dicunt פרסה *parasangam*, Persico vocabulo. Vid. *Cocc. Exc. Gem. Sanh. cap.* 11. §. 30. *not.* 6.

(5) De *mensuris capacitatis* & de *nummis* hîc multa notare, aut cum *mensuris nummisque* apud nos usitatis plus justo conferre, quum sit res difficultate maximâ implicata, præsertim in tanto hominum doctissimorum dissensu, operam erit ludere. *Prætereo domestica*, (utar verbis *Titii. præf. comm. numm.*) *quòd nec ipsa obvia satis semper, & nota nobis, ac certa esse possint. Prætereo id, quod multò omni ætati est notissimum, quàm miris vicibus mensuræ & nummi obnoxii esse soleant, sic, ut accuratè nesciamus, quid sextarius, quadrans, denarius, drachma &c. fuerint.*

Landesbibliothek Oldenburg

portio obſervaretur, omnes *menſuras* ſuas deſcripsêre certo teſtarum gallinacearum mediocris magnitudinis numero.

XIV. Quando hîc *menſuras* cum noſtris confero, & loquor de *modiis*, *ſemodiis*, &c. intelligo id juxta menſuras *Wintoniæ*. Talis *modius* continet *ſedecim ſextarios*; & quando loquor de *congiis*, *ſemi congiis*, *quartariis*, &c. intelligo id juxta noſtras *menſuras cereviſiarias*; quâ re evito fractionem numeri.

XV. קַב *Cabus* (†) continebat tantum, quantum 24. *ova*, convenit cum *quartario* noſtro. *Arias Montanus Thubal-Cain.* *Menſura minima in* S. Scriptura eſt *quarta pars cabi*, ſeu 6. *ova*, 2. *Reg.* VI. 25. Tanta Fames in Samaria fuit, *ut quarta pars cabi excrementorum columbarum venierit quinque argenteis.* Rabbinis hoc proverbium de *cabo* eſt עֲשָׂרָה קַבִּין שִׁיחָה יָרְדוּ לָעוֹלָם תִּשְׁעָה נִטְלוּ נָשִׁים *Decem cabi locutionis deſcenderunt in mundum, & novem iſtorum abſtulerunt mulieres.* *Buxt. Lex. in* הִיר.

XVI. עֹמֶר *Omer* (*) continet *unum Cabum*, & *dimi-*

(†) *Cabus*, unde *Græc.* κάβη & *Lat. cibus*, eſt ſexta pars *ſeæ* ſive *ſati*.

(*) עֹמֶר eſt menſura aridorum, continens circiter 42. vel 43. *ova*, quæ efficiunt *decimam partem Ephæ*. Significat & manipulum, unde forſan *Germ.* Garbe / m. in. b. mutato, juxta regulam de literis unius ejuſdemque organi.

Landesbibliothek Oldenburg

dimidium Cabum, & *quintam partem Cabi*, h. e. *tres pintas*, & *dimidiam*, & *quintam partem semi-pintæ*. Erat decima pars *Ephæ*. *Exod.* XVI. 36. *Alsted. præcogn. Theol. l.* 2. *p.* 588.

XVII. סאה *Seah* σάτον *satum*. (†) Latini Interpretes plerumque vertunt *Modium*. Continet *sex Cabos*, h. e. Congium & dimidium. Vid. *Buxt. Lex. in* קבב ex opere *R. Alphes tract. de pasch. c.* 5. *fol.* 176. In genere hanc vocem interpretamur *mensuram*. *Cras hoc tempore veniet à measure mensura* (סאה) *similæ*, *siclo*. 2. *Reg.* VII. 1.

XVIII. איפה *Epha* continet tria *sata*. *Arias Mont. Thubal-Caïn*.

XIX. לתך *Letech* continet 15. *mensuras* seu 15. *sata*, seu 5. *Ephas*, h. e. *duos Modios*, *sex Congios*, & *semi-Congium*. Hujus mentio *Hos.* III. 2. Ibi à no-

(†) *Seah* est tertia circiter pars *Ephæ* seu modii nostri unsers Simmers / Fernssels / oder Scheffels / (nam hæc vocabula Germanica inter se commutantur ratione provinciarum, & sunt vel paris vel imparis capacitatis) et continet tantundem ac μόδιος, *Matt.* V. 15. quod *Luth.* æque ac *Seah* sive *satum*, *Matth.* XIII. 33. transtulit Scheffel / at minus rectè; cùm sit tertia vel quarta ejus pars, & 144. *ovorum*, seu sex *caborum*; eine halbe Mest / ein Sechter / ein Vierling / eine Spind. Subter ejusmodi mensura frumentaria & cibaria abscondunt sæpè lumen, qui ventri student, & timent; vel istiusmodi *dimensis* obtegitur veritas, & gaudet fruiturque mendacium. *Zach.* V. 6-8.

Landesbibliothek Oldenburg

ſtratibus vertitur *an half homer*, ſemi-Chomer. Vid. *Epiph. de menſ. & ponderib.*

XX. חֹמֶר *Chomer*; dicitur à חֲמוֹר *Aſinus*; quoniam hæc menſura tantum frumenti capiebat, quantum Aſinus ferre ſufficit. Continuit *decem Ephas*, *Ezech.* XLV:11. h. e. 45. Congios, ſeu 5. Modios & 5. Congios.

XXI. כֹּר *Corus* eadem *menſura* fuit (*†) cum *Chomer*. *Ezech.* XLV. 14. Non autem tantùm fuit *menſura aridorum*, ſed & *liquidorum*. *Luc.* XVI. 7.

XXII. Hæ *menſuræ*, de quibus hucuſque diſſeruimus, adhibentur ab Hebræis in *rebus aridis metiendis*. Fuerunt tres aliæ *liquidorum menſuræ*. Ut

XXIII.

(*†) *Corus* & *Chomer* fuit maxima menſura, continens *decem Ephas*, ſeu *decem medimnos Atticos*, ſeu 800. libras, ſeu *decem bathos*; onus cameli potius, quàm aſini. Hinc quoniam Iſraëlitæ dicuntur, qui minimum collegerunt, עשרה חמרים *decem chomarim*, ſeu *decem coros*, *ſelavim*, (quæ vox à pleriſque vertitur *coturnices*) collegiſſe, *Num.* XI. 31. 32. Hinc, dico, Illuſtris *Ludolfus p. m.* non poſtremum argumentum duxit, non fuiſſe illas *Selavim*, aves aut coturnices, ſed *locuſtas*. Cui enim uſui tàm immenſa copia coturnicum in paucos dies, ſingulis familiis? quibus capiendis, mactandis, depluumandis, eviſcerandis, & expandendis circum caſtra, vix ſuffecerit integer menſis. Certè *Ventus*, qui eas adduxit, *diei* integri *iter*, per quod diſperſæ fuerunt humi, facilis *collectio*, *ſuſpenſio* ut torrefierent circum caſtra, *menſura*, eaque maxima, nec non *Experientia* quòd locuſtæ & eſui, & venales in Ægypto ac Africa, & grati ſaporis ſint, *Ludolfo* adſtipulantur.

Landesbibliothek Oldenburg

XXIII. לוג. Continet *sex ova*. Vid. *Buxt. l. c.* Eadem *mensura* fuit cum quarta *Cabi* parte seu *semi pinta*, vel cum *Sextario*.

XXIV. הין Conficit 72. *ova* seu 6. *cabos*, *Buxtorf. ibid.* & juxta nostram *mensuram* 3. *quartarios*.

XXV. בת Βάτος *Bathus* ejusdem erat quantitatis cum *Epha*, scil. *decima pars Chomeris*. *Ezech.* XLV. 14. Latini interpretes plerumque vertunt *Cadus*. *Hieronymus Ezech.* XLV. transfert *Vadus*: *Decima pars Cori*, inquit, *in speciebus liquidis vocatur Bathus sive Vadus*. Putaveram esse sphalma typographicum, & positum esse *Vadus* pro *Cadus*; sed invenio, Græcos adhibuisse vocabula Βάτος & Βάδος; pro qua posteriori voce Pater iste legit *Vadus*. Subinde in genere transfertur in nostra lingua *a measure mensura*, *Luc.* XVI. 16. continetque 4. *Congios & dimidium*.

XXVI. Omnes hæ *mensuræ* Hebræorum propriæ fuêre; sed præter eas tres aliæ occurrunt in Nov. Test. ductæ ab aliis gentibus. Ut

XXVII. Ξεστός *Sextarius*, quam vocem vertimus *a pot* Cantharum. *Marc.* VII. 4. Ejusdem cum *Log* quantitatis fuit, si intelligimus *Sextarium Romanum*; paulò autem major est, si intelligimus *Sextarium Atticum*. Undecim *Attici sextarii* æquabant *Romanos* duodecim. Verisimiliùs ergò intelligimus *Romanam mensuram*, sic ut continuerit

tinuerit *sex ova*, seu *semipintam*. (*) *Vid. Alsted. præcogn. Theol. p. 561.*

XXVIII. Χοῖνιξ *Chœnix* mensura. *Apoc.* VI. 6. Propriè denotat tantam frumenti *mensuram*, quantam Servo de die pasci licuit. Hinc natum illud *Pythagoræ*: χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι *super Chœnice non sedeas*; h. e. *non unius diei dimenso acquiescendum, sed & in crastinum prospiciendum.* Continebat 4. sextarios, h. e. *unum quartarium. Budæus de assib. l. 5.*

XXIX. Μετρητής *Metreta Joh.* II. 6. Transfertur *a Firkin.* Erat *mensura Attica*, ejusdemque quantitatis cum *Cado*; & *Cadus*, ut anteà annotatum est, coincidit cum Hebraïco *Batho*, sic ut quoque continuerit 4. *Congios* & dimidium. *Budæus ibid.*

CAP.

(*) *Sextarius* est mensura minima liquidorum, continetque semipintam, seu octavam partem canthari nostri vinarii aut cerevisiarii, unserer Wein-Massen oder Kannen/ das ist/ einen halben Schoppen/ oder halb Dort. Usurpatur etiam ea vox pro vase minimo, viginti circiter unciarum. *Marc.* VII. 4.

Landesbibliothek Oldenburg

CAP. X.

De Moneta ipsorum cuprea, argentea, & aurea.

I. UT justos *nummos* & *pondera* haberent, utraque librârunt granis.

Nummi cupræi.

II. Λεπτόν *minutum*, seu *quadrans ultimus. Luc.* XXI. 2. *Marc.* XII. 42. Recentiores Judæi vocant פְּרוּטָה *nummulum minutum*, *Syr.* שְׁמוֹנָא *octavam assarii partem.* Pendet dimidium granum hordei. פְּרוּטָה זוּ מִשְׁקַל חֲצִי שְׂעוֹרָה *Minutum istud est pondus dimidiæ partis hordei. Mos. Kots. fol.* 124. *col.* 4. Conficit tres partes quadrantis nostri. (†)

III. Κοδράντης *Quadrans* (*) erat *nummulus Romanus*, pendens granum hordei, vel duo *minuta*: *Vidua illa pauper immisit in gazophylacium duo minuta, quod est quadrans. Marc.* XII. 42. Consequenter valet nostrum quadrantem seu c. 12.

IV.

(†) Ita dicitur, quia est moneta λεπτὴ *tenuis* & minutissima, seu פְּרוּטָה *particula* à *partior*, conficiens octogesimam *denarii* partem.

(*) *Quadrans* est quadragesima *denarii* pars.

Landesbibliothek Oldenburg

IV. Ἀσσάριον *Assarius* vel *Assarium* (*†) erat *nummus Romanus*, pendens quatuor hordei grana. Rabbini vocant אִיסָּר, & dicunt, quòd constituerit 8. *minuta*. *Drus. in præt. Luc.* XII. 59. De eo legimus *Matth.* X. 29. *Nonne duo passerculi veneunt assario?* Nostri legunt *for a farthing*. Si præcisè loquamur, de nostro valet *qa. q.* seu semiss.

Nummi argentei.

V. גֵּרָה *Gerah* (*) erat vigesima pars *sicli sacri*. *Siclus est viginti Gerah. Exod.* XXX. 13. Minimus est *nummus argenteus* Hebræorum, & convenit cum nostro *Obolo*, 1. *d. ob.*

VI.

(*†) *Assarius* ab *asse* venit, ein Eintzler / uti *denarius* à decem ein Zehener. Estque decima pars denarii, & circiter 5. Heller; Superat aliquantulùm crucigerum nostrum, & tantundem est ac 4. oboli cuprei Batavici, 4. Holländische Deuten.

(*) *Gerah* quidam deducunt à גָּרַר *garar*, *serravit*, *secuit*, quasi minimum monetæ aut argenti κέρμα serramentum & segmentum; alii ab אָגַר *fructum collegit*, *acervavit*, ut אֲגוֹרָה ejusdem non modo sit valoris, sed & radicis, *aleph* eliso, quia nummi minuti collecti *acervum*, quæ vox forsan ab אָגַר venit, faciunt. *Si siclum sacrum æstimemus quatuor drachmis communibus*, *vel schillingis Hollandicis*, ait Coccejus, *vigesima sicli pars*, quanti Gerah & Agorah fuit, *effecit propemodum Braspenningum*, *eenen bras-penning*, *sive* 10. *deutas*. Verum juxta meum calculum tantum 8. *deutas*, seu *stüverum* Batavicum, aut novem *helleros* Germanicos effecit.

Landesbibliothek Oldenburg

VI. אַגּוֹרָה *Agorah.* Vertimus in genere *à piece of silver*, *particulam argenti.* 1. *Sam.* II. 36. Verùm ex Chaldaïca Paraphrasi liquet, quòd ejusdem cum *Gerah* valoris fuerit, ibidem enim utrumq; transfertur מעה, & à Græcis ὀβολὸς. Valor ergo est 1. *d. ob.*

VII. קְשִׂיטָה *Keschitah*, *notat* (†) *agnum* Hebræis, certumque *nummum.* Cujus alteri lateri *agnus* impressus fuit. In genere vertimus *a piece of money*, *partem monetæ.* Jacob emit portionem agri *centum nummis*, *for* 100. *pieces of money.* *Gen.* XXXIII. 19. Hebr. *centum agnis.* Verisimile tamen est, Jacobum redemisse istum agrum *nummis*; nam Stephanus ait *Act.* VII. 16. emisse ipsum *pretio argenti.* Juxta sententiam Rabbinorum ejusdem valoris cum *Obolo* fuit. *R. Salom. Gen.* XXXIII. 19. Item *R. David Kimchi in lib. rad.* Item *Levi Ben Ger. Gen.* XXXIII. 19. & constituit vigesimam *sicli* partem. *Drus. ad diff. loca Gen. p.* 119. Valor ergo fuit 1. *d. ob.*

VIII. כֶּסֶף Ἀργύριον *Argenteus.* Quemadmodum Romani suas *summas* numerabant *sestertiis*, sic,

(†) *Keschitah* certè dubiæ est originis & valoris. Quicquid tamen sit, vulgaris opinio, Talmudicos sequens, monetam cum imagine ovis fuisse statuit. In Talmud. ראש תשנה cap. 3. f. 26. 1. legitur: *Dixit R. Akiba*; *cùm peregrinarer per Africam, audivi illic,* מעה *pecuniam seu nummum nominari* קְשִׂיטָה.

Landesbibliothek Oldenburg

sic, ut sæpè *nummus* absolutè positus sit ad significandum idem quod *sestertius*; ita Hebræi suas *summas* supputabant *siclis*, Græci *drachmis*. Hinc *argenteus* in S. Scriptura absolutè positus, cùm locus agit de *nummis* Hebræorum, stat pro *siclo*; valetque πτεράδραχμον seu *staterem Atticum* 2. *s.* 6. *d.* si fuerit *siclus sacer*; si verò *vulgaris*, δίδραχμον *Atticum* 1. *s.* 3. *d.* Cùm autem locus agit de *nummis* Græcis, ut *Act.* XIX. 19. tum notatur *drachma Attica*, quæ valet *obolos* 7. *Luc.* XV. 9. *Breerwood. de numm.* (**)

IX. Δίδραχμον *Didrachmum. Matth.* XVII. 24. *The tribute money* vertimus. *Syri* legunt תזין זוזין *duo zuzin*; Hebræorum autem *zuz* convenit Romanorum *denario*; ex quo patet, quòd confecerit 7. *obolos* nostros.

X. Στατήρ *Stater*. In genere interpretamur eum *a piece of money*, valet verò præcisè *duo didrachma*. Nam *nummus* censûs à quovis dependendus, erat *didrachmum*, *Matth.* XVII. 24. Hicque *stater* solutus est pro duobus, nempe Christo & Petro. Ejus ergo valor æquavit 14. *obolos*. 2. *s.* 6. *d.*

XI. Δηνάριον *Denarius*. Hoc erat *numisma censûs*, *Matt.* XXII. 19. Duo *denariorum* genera ipsis usitata erant.

(**) *Vulgaris siclus*, sive *argenteus*, tantundem fuit, ac quarta pars thaleri nostri Imperialis, ein Ortsthaler, sive decem stüveri Batavici. *Sacer* autem, ac dimidius thalerus. *Stater* æquivalens est *siclo* sacro, sive *Didrachmis*, sive etiam 4. *denariis*. *Matth.* XVII. 27.

Landesbibliothek Oldenburg

erant. *Tremell. Matth.* XXII. 19. *Denarius vulgaris*, qui valet 7. *d. ob.* septem *obolos.* Et *denarius sacer*, qui constituit δίδραχμον *Atticum* seu 1. *s.* 3. *d.* Et posteriori sensu Matthæus l. c. intelligendus est, nam *numisma census didrachmum* fuisse ex *Matth.* XVII. 24. notavimus. Hoc *didrachmum*, seu *dimidia sicli pars*, antiquis temporibus quotannis, ab Israëlitis trigesimum annum assecutis, Templo datum est, *Exod.* XXX. 32. *Aben-Esra. Neh.* X. 32. Cæsar, hunc templi *censum* suo *gazophylacio* inferens, abstulit τὰ τοῦ θεοῦ. Hinc Christus in quæstione sibi proposita; *Licet censum dare Cæsari, an non?* Respondet: *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Hic *census* postea, vi decreti à Vespasiano facti, Capitolio Romano depensus est. *Joseph. de B. J. l.* 7. *c.* 27.

XII. זוז *Zuz* erat *quarta pars sicli argentei*, & sic æquivalet nostrorum *obolorum* septem 7. *d. ob.* זוז רֻבַּע שְׁקֶל כֶּסֶף *zuz est quarta pars sicli argentei. Elias Thisb.*

XIII. שְׁקֶל *Siclus* duplex erat. I. *Siclus Regius*, communis usûs in negotiis civilibus, emptionibus, & venditionibus, & ejusdem valoris cum *didrachmo.* II. *Siclus Sanctuarii*, pretio æquans τετράδραχμον, seu 2. *s.* 6. *d.* In *Siclo Sanctuarii* duo typi excusi erant, quorum alter ubivis inter Judæos valebat. *Triginta argentei*, quos Judas accepit, creduntur fuisse *triginta sicli sacri.* Unus typus in altero latere fuit *Urna mannæ*, aut, juxta aliorum

ſententiam, *thuribulum Aaronis*, cum hac inſcriptione שקל ישראל *Siclus Iſraëlis*. (†) In altero latere erat impreſſa *Virga frondens Aaronis*, cum hac

(†) In gratiam eorum, qui Νομμομανίᾳ laborant, & omnem laborem in antiquis obolis colligendis, & contemplandis, inſumunt, ſequentia ex *Oweno* noſtro Theologo perſpicaciſſimo lubet annectere, ut videant, quàm inanis ſit ille labor, & quàm dubiæ fidei omnes ferè illi nummi, quos ab antiquitate deprædicant, & *Medalias* aut *Methalias* Arabicô vocabulo, à מתאל, *cudit*, *cudendo excudit*, unde forſan *metallum*, vocant. Ita autem ille ſcribit *Theol. lib. IV. digreſſ. 2.* ,, Multos ,, in nummis cudendis ac venditandis impoſturas exer- ,, cuiſſe, qui ubivis occurrunt fictitii, neminem, qui non ,, amotæ mentis eſt, dubitare permittunt. — Quidam ,, lucrifaciendi causâ, quidam nefariâ homines credulos ,, decipiendi prurigine titillati, huic impoſturæ ope- ,, ram dederunt. Innumera adhuc extant iſtiuſmodi ,, παραχαράγματα. In Numiſmatis *Ptolomæi Evergetis*, ,, hic titulus legitur Πτολεμαίου φύσκωνος Ευεργέτου; item ,, alius in nummis Αυλητής dicitur, alius λάθυρος; φύσ- ,, κων autem, Αυλητὴς & Λάθυρος ridicula fuêre improperia, ,, invitis impoſita. Non ſani hominis eſt, credere, Re- ,, ges ſuperbiſſimos opprobria ſua nummis æternitati ,, conſecraſſe. — Antiquum autem ſatis eſt, & notiſſimum ,, decipiendi artificium, ſubterranea inventa fingere. ,, Eo artificio, cùm Virgines Sabinas in poteſtatem ,, ſuam redigere vellet, uſus eſt *Romulus*. *Divulgavit*, ,, ait *Plut.* in vita ejus, *Dei cujuſdam defoſſam ſe ſub ter-* ,, *ra aram reperiſſe*, *Conſum Deum vocabant*. Inde in ,, proverbium abiit inter Romanos; *Lapidem è ſepulcro* ,, *venerari pro Deo*, quo utitur *Cicero pro Plancio* & alibi. ,, — Inter innumera fraudis hujus veſtigia & expreſſa ,, teſtimonia fabulam illam operoſiſſimam de *Proſpero* ,, *Feſulano*, quam ſub titulo Antiquitatum Hetruriæ edi-

dit

hac inscriptione ירושלים הקדושה *Hierosolyma Sancta.* Post adventum Salvatoris nostri, conversi ad Christianam fidem Judæi mutârunt suum *siclum*, in priori latere exaratâ effigie Christi, adjectisque ad frontem vel os literis יש, & impositâ capiti literâ ו; quæ tres literæ componunt nomen JESU. *Alsted. præcogn.* Altero autem hujus *sicli* latere nullum erat insigne, sed totus orbiculus repletus erat hâc inscriptione משיח מלך בא בשלם ואור מאדם עשוי חיים *Messias rex venit cum pace, & lux de*

dit *Curtius Inghiramius*, reponendam censeo. — Hujus quoque notæ erat factum *Alexandri* quod memorat in vita ejus *Plut.* qui grandiora arma & equorum præsepia & fræna majoris ponderis, quàm unquam in usu fuerunt, fabricatus est, & ad Gangem abscondit. — Postquam autem orientalibus subolere cœpit, quo in pretio apud Europæos essent rerum vetustarum monumenta, nullum non moverunt lapidem, quò iis præstigiis illuderent. Dum enim oriens à Christianis teneretur, numismata ulla Hebraica ibi effossa fuisse, non apparet. — Muhammedani nunc, quæ nudius tertius finxerunt, magno pretio vendunt. — Judæi autem Orientales fucosæ hujus mercis ingeniosi sunt negotiatores, uti in omnibus aliis malis artibus, unde spes aliqua lucri effulgere videtur — ita ut vir Doctus non vereatur affirmare, fictos nummos quotidie effodi, præprimis, qui stante templo primo percussi dicuntur, cùm alteri qui stante templo secundo cusi aut fusi, adeò sint infrequentes; cùm tamen populus post captivitatem Babylonicam mercaturæ operam dans, multò ditior fuerit, & omnem pecuniæ vim, teste Josepho, in locis subterraneis, instante vastatione, absconderit.

homine facta est vita. In aliis *monetis* hæc eodem sensu inscripta leguntur: אלהים עשוי אדם ὁ Θεὸς ἐγένετο ἄνθρωπος. *Siclus Regius*, tempore Davidis & Salomonis, altero latere signũ tulit, turrim positam inter ירו & שלים, infra quam legebatur, עיר הקודש *Hierosolyma urbs sanctitatis.* Alterum latus totum inscriptum erat his verbis: דוד המלך ובנו שלמה המלך *David Rex & filius ejus Salomon Rex. Siclus* præterea in minores *nummos* divisus fuit, qui suam denominationem habuerunt à partibus ejus. Sic mentio fit *dimidii sicli*, *Exod.* XXX. 13. & *tertiæ partis Sicli*, *Neh.* X. 32. & *quartæ*, 1. *Sam.* IX. 8.

Nummi aurei.

XIV. זהב quod transferimus *a piece of gold.* 2. *Reg.* V. 5. alii *siclum auri* esse putant ex 1. *Chron.* XXI. 25. Hujus generis sunt 1700. *nummi aurei*, quorum mentio *Jud.* VIII. 26. quo loco *Græci* vertunt χρυσοῖ χίλιοι &c. Pondus hujus *nummi* æquavit duas *drachmas Atticas*, valor 15. *S. Breerwood de num.*

XV. אדרכון, de quo *Esr.* VIII. 27. vocatur aliàs דרכמון *Esr.* II. 69. Utrumque hoc nomen videtur denotare eundem *nummum*, si non, pondus tamen idem utriusque fuit. Græci utrumque interpretantur per δραχμήν, secundùm quos & nos quoque utrumq; transferimus *a dram of gold*; quod

quod intelligendum de *drachma Hebræorum*, quæ æquivalet duabus *drachmis Atticis*. A Græca voce δραχμή videtur natum *Darkemon*. Non hariolatur, qui putat, *Adarkon* dici, quasi *Daricon*, quod fuit *nummus aureus Persis* usitatus & à Rege *Dario*, cujus effigies alteri lateri impressa erat, ita dicta. אד autem apud Chaldæos sæpiùs præfigitur vocabulo, sicut דר apud Hebræos. (*) Valoris ejusdem fuit cum זהב seu *siclo aureo*. *Breerwood, de num.*

Summæ ipsorum *duæ* fuerunt.

XVI. מנה μνᾶ *Mina, libra* seu *pondo*. *Mina aurea* pendet 100. *siclos*. Hoc liquet ex collatione textuum. 1. *Reg.* X. 17. *Tres minas* מנים *imposuit unicuique scuto*. Et 2. *Chron.* IX. 16. *legitur imposuisse* 300. *siclos auri unicuique scuto*. In Hebr. quidem *siclus* non expressè legitur, sed necessariò subauditur, uti patet ex eo, quòd diximus de *Zahabh*. Nam receptus est canon, quòd *aurum*, positum in Scriptura cum *numero*, notet totidem *Siclos aureos*, & sic *argentum* pariter, &c. Pondus ergo quum sit 100. *siclorum*, valor erit 75. *Lib.* *Mina* autem ipsorum *argentea* pendet 60. *siclos*, *Ez.* XLV. 12. sic ut valor sit 7. *lib.* 10. *s.* *Schindlerus in* מנה lapsus est, dicens; quòd pretium

(*) אדרכון nummus est. 1. *Chron.* XXX. 7. *Esr.* VIII. 27. *Piscator* vertit *drachmas*, quæ vox forsan ab illa Hebr. descendit. *Luth.* Gülden. Valet circiter ducatum nostrum aureum.

Landesbibliothek Oldenburg

minæ mutatum sit tempore Ezechielis, quum valuerit tum temporis 60. *siclos*; nam differentia illa non est inter *minam sacram* & *profanam*, uti is putat; sed inter *minam auri*, quæ semper valuit 100. *siclos*, & inter *minam argenti*, quæ pendet 60. *siclos*, juxta citatum *Ezech.* locum.

XVII. Secunda *summa* fuit כִּכָּר *Talentum.* (†) Quod, cùm est *talentum argenti*, continet pondus 3000. *siclorum.* Nam collati isti duo versiculi *Exod.* XXXVIII. 25. 26. ostendunt; quòd dum à sexies & centies mille capitibus, singulis *dimidium siclum* pendentibus, 100. *talentorum summa* collitur, *talentum Hebræorum* valuerit 375. *lib.* Sed *talentum auri*, comparatum *argento*, duodecies superabat; sic ut apud nos conficiat 4500. *Lib.* Hîc, cùm agimus de ipsorum *nummis*, tria observanda sunt.

XVIII. 1. Quòd quemadmodum Romani antiquitùs usurpârunt *Æs grave* seu *rude*, quod in massa in expensis pendebant, & deinde *Æs signatum*; ita Hebræi, etsi tandem receperint usum *signatorum nummorum*, priùs tamen suum *æs rude* depen-

(†) *Talentum* duplex fuit, *sacrum* sive templi, & *vulgare*; & utrumque rursus vel *auri* vel *argenti*. *Talentum auri sacrum* faciebat 3000. siclos sacros, seu sanctuarii, h. e. 15000. thaleros Imperiales. *Talentum auri vulgare*, 3000. siclos vulgares, h. e. 7500. thaleros Imperiales. *Talentum* verò *argenti sacrum*, 1500. Imp. *vulgare*, 750. valebat: sic ut talentum argenti à talento auri, decies & non, ut Autor putat, duodecies superatum fuerit.

Landesbibliothek Oldenburg

dependebant. *Appendebat Abraham Ephroni argentum Gen.* XXIII. 16. Hinc *siclus* suum nomen traxit, nam שָׁקַל *ponderare, librare.*

XIX. 2. Uti *signatus siclus* duplex fuit, alter in usum Sanctuarii, alter in usum Reipublicæ, *siclusque Sanctuarii* æquavit duos *siclos vulgares*; ita pondus *sicli* eodem modo distinguendum est. *Siclus Sacer* pendet *semi-unciam ponderis Trojani*; *vulgaris quartam unciæ partem.* E. G. *Mucro ferreus hastæ Goliathi pendebat* 600. *siclos sacros*, 1. *Sam.* XVII. 7. h. e. 25. *pondo.* *Coma Absolonis* pendebat 400. *siclos ponderis regii*, 2. *Sam.* XIV. 26. h. e. 4. *pondo*, & 2. *uncias.* Imò etiam *summæ* juxta *Sanctuarium* sumptæ dimidiam pretii partem amittunt, quando in publico usu juxta *regium pondus* componuntur.

XX. 3. Minimi *nummi* in genere dicebantur κέρματα, aut in Num. Sing. κέρμα *Joh.* II. 15. Vox ea propriè denotat *parvam metalli particulam*, qualis ab angulis abradi potest. *Primo mensis Adar factum est præconium per Israëlem, ut populus pararet dimidium suum siclum, qui quotannis dependebatur ad cultum templi*, secundùm Dei præceptum *Exod.* XXX. 13. *Mos. Kots. Sicl. fol.* 122. *col.* 2. Die decimo quinto mensis *Adar mensas* portârunt in templum, h. e. in atrium, ubi populus stetit; istis imposuerunt ea κέρματα seu *minutos nummos*, ut eos juvarent, quibus opus esset *dimidiis siclis* ad oblationem, aut ad boves, oves, columbasque emendas, quæ ibidem quoque in atrio venales extabant. *Mos. Kots. ibid.*

XXI. Hæc autem κέρματα pecuniâ aliâ, aut saltem rebus aliis vice pecuniæ, non sine fœnore mutata sunt. Hinc illi, qui assidebant his mensis, vocantur κερμαπραί respectu *minutorum*, quæ commutabant. Respectu verò hujus *commutationis* dicuntur κολλυβισταί, nam κόλλυβος, inquit *Pollux*, est ἀργυρίου ἀλλαγή *Pecuniæ permutatio*. Vid. *Drus. annot. in N. T. part. alt.* Et quod κόλλυβος Græcè, hoc Latinè *Cambium* (*) significat; unde illæ literæ *collybisticæ*, quas Latini vocant *Literas cambii*, & Græci σύμβολα κολλυβιστικά *tesseras collybisticas*. Tandem respectu *mensarum*, quibus assidebant, vocabantur Talmudicis שולחנים *mensarii*, à שולחן *mensa*; ob eandem rationem Græcis sæpè dicuntur τραπεζῖται, & apud Latinos *mensarii*. Hi erant *nummularii* isti, quos Salvator noster templo ejecit.

(*) *Cambium* significat *Mutationem*, ab antiquo vocabulo *Cambio*, *campsi*, *camptum*, *muto*, & hoc à Græco κάμπτω, ἔκαμψα, *flecto*. A cambiendo vulgò *campsorem* appellarunt nummularium sive argentarium. Hinc etiam *cambium* dixerunt humorem istum in corporibus nostris, qui proximè *mutatur* in glutinosam substantiam, uti proximè hæc in carnis substantiam transit.

FINIS.

תְּהִלָּה לְאֵל חַי

INDEX.

INDEX

Autorum, qui in hoc Libro citantur.

A.

Ben-Esra.
Acosta.
Ælianus.
Æschines.
Agellius.
Agricola.
Albinus.
Alexander ab Alexandro.
Alexander Neapolitanus.
R. Alphes.
Alstedius.
Altingius.
Amama.
Ambrosius.
Anselmus.
Aquinas.
Arias-Montanus.
Aristophanes.
Aristoteles.
Artemidorus.
Aruch.
Athenæus.
Augustinus.
Ausonius.

B.

Baal-turim.
Beda.
Bellarminus.
Bertramus.
Beyerus.
Beza.
Bochartus.
Bodinus
Breerwood.
Brightmannus.
Brixianus.
Broun Anglus.
Budæus.
Burklinus.
Burmannus.
Buxtorfius.

C.

CAmerarius.
Caninius.
Capellus.
Capnio.
Casaubonus.
Celsus.
Chemnit. Concil. Trid.
Chronicon Carionis.
Chrysostomus.
Ciacconius.
Cicero.
Claudianus.
Clemens Alexandrinus.
Clementianus.
Coccejus.